A NAZ.
nuele III
IX
9

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
99
NAPOLI

BIBLIOTECA NAZ.
XXXIX
D
99
NAPOLI

~~Scans 23 Num 3~~

~~Ins~~

Scansia II num 2 Nuovo 36

Dupl

SALMONII MACRINI IVLIOdunenſis Cubicularij regij Næniarum libri tres, De Gelonide Borſala uxore chariſſima: quæ annos XXXX, menſes II, dies XV nata, obijt XIIII Iunij, Anno Domini M. D. XXXXX.

Ἰακώβου Γωπύλου ἰατροῦ εἰς θάνατον.

Τίπτε μάτην ὦ μοῖρα πονεῖς, καὶ πάντα ταράσσεις
οὐλομένη, θνητῶν ὡς γένος ἐξολέσῃς,
Καὶ γὰρ δὴ λυτρῶν ἀδρανῆ οὐδεὶς ἀφανίζειν,
Ἀλλά μιν ἥδε σελὶς εἰς φανερὸν προφέρει.

Comes Alſinous.

Carmina ſi moueant Manes, & Numina: carmen
Numinaq; & Manes, quo moueantur, habent.

BIBLIOTECA ... CONCEPTIONIS NEAPOLIS

LVTETIA...

Apud Vaſcoſanum, uia Iacobæa ad ...

M. D. L.

CVM PRIVILEGIO.

AD MARGARITAM A Francia, Biturigum Ducem, Henrici Regis ſororem unicam, bonarum artium patronam, Salmonius Macrinus.

Ni uerear ne te funeſtet lugubre carmen,
Néue meæ uxoris exequialis honor:
Obtulerim ipſe libens hoc quale eſt cumq; libelli,
Hanc rationem oci reddere meq́; iuuet.
Prædita uirgineo ſed cum ſis Nympha pudore,
Regia ſtirps, Regum deinde futura parens:
Nil tibi funereum, nil lamentabile ſit par
Offerri, frontem quod tibi nube tegat.
Læta dicata prius uulgaſſem lætus, at illa
Suppreſſit nuptæ mors inopina meæ.
Da ueniam, & caris concede Gelonidos umbris
Officio ut faciam debita iuſta pio.

SALMONII MACRINI IVLIO-
dunen. Cubiculariј regiј Næniarum liber primus, De Gelonide Borſala uxore cariſs. nuper defuncta: Ad Io. Moreium, Canonicum Pariſien. Cardinalis Bellaiј Secretarium.

AESTATE Morei præterita, tuis
Quando hoſpitabar lætus in ædibus,
Longáſque luces tranſigebam
In ſtudio ſolito quietus,
Inauſpicatis ecce repens tibi
Pennis ad aures fama uolat meas,
Fato eſſe ſublatam Gelonin,
Perpete eam quatiente tuſſi.
Senſus Macrini nuntius hic ita
Turbauit omnes, ut ſubitò mori
Optaret, & caræ tot annos
Eſſe obitus ſocius, uiæq;.
Nam cogitabam me miſerum labor
Quantus maneret deſide in ocio
Antè educatum, liberûmq;
Sollicitum minime meorum.
Qui tunc alendi iam uieto à patre,
Curanda cui res inde domeſtica,
Prouinciam aſt huius Gelonis
Omnimodam mea ſuſtinebat.

Hæc præter, illex illa ſuauitas
Qua condiebat colloquia omnia,
Morum ille candor puriorum
Quo Scythicas domuiſſet iras:
E molliiſſet cordáque barbara
Leſtrygonum, menti aſſidue meæ
Infixus hæreſcit, tenaci
Aegrum animum cruciatq; ſenſu.
Quid plectra linguæ blandiloquentia,
Oriſq; dulces nectarei ſonos
Dicam, quibus Pœnos leones
Et Numidas cicuraſſet urſos?
Fecit Gelonis ſola, uti crederem
Quæcunque priſci carminibus ſuis
De Thrace ſcripſerunt, & amnes,
Et rapidos remorante uentos.
Nam multinerui Biſtonius lyra
Quæ fecit Orpheus, eloquio mea
Egiſſet orandi perita
Flexanimo, idque citra laborem.
Has Parca dotes inſatiabilis
Inuidit illi ne, an potius mihi?
Felix eiſdem qui fruebar,
Semideos & habebar inter!
Proferre maius neſcio quid placet,
Si quid decorum, ſi quid & utile

Salmo niana

S almoniana ex officina
P rodierat melicis Camœnis:
C onſors iugalis ſuauiloquens tori
D ictabat illud totum, & Apollinis
P artes obibat, nunc diſerto
O re, oculis modò grata pætis.
S æpe extulerunt laudibus hanc ſacræ
R eginæ, & eius ſæpe nitentia
O ra intueri geſtiere,
F ama animos cupidos agente.
M ors ſæua momento hæc rapuit breui,
C ontra queat nec tẽdere quiſpiam,
P hthijs uel armis ſi tegatur,
H erculeas ſuperét ue uires.
H oc uulnus, hoſpes, tam lachrymabile
S i non relatum mi ædibus in tuis,
S olatus eſſes nec dolentem,
V ltimus ille dies fuiſſet.
S ummo Tonanti ſed quoniam nefas
P ugnare, nec ſi fortè cupiueris,
I dcircò quicquam conſequêris,
T eq; tuo iugularis enſe:
M orem gerendum iam ſtatuo mihi
N eceſſitati, & clamito cernuus
V italis auraï datori,
E ius uti rata ſit uoluntas.

Fiat quod optas, ſancte poli artifex,
Nil nempe iniquum, nil facis improbum.
Regisq; ut eſt regum iubere,
Sic hominum obſequi ei iubenti.
Duntaxat iſtud, ſumme Deus, tuam
Clementiam pro coniuge poſcimus,
Vt lumine indutam ſuperno
Eſſe uelis ſine fine tecum.
Et ſi qua labes fortè inoleuerit
Terris agenti, carnéque noxia,
Placatus ignoſcas, ab eius
Omni animam maculáque purges.
Paſſum eſſe natum pro populo tuum
Effuſo abunde ſanguine, credidit,
Et morte commendans in ægra
Se tibi, ter ueniam petiuit.
Exaudiendas non dubito preces
Quas ore fundo mentéque ſupplici,
Placabilem ſe nam recepit
Omnipotens fore pœnitenti.
Hæc pro exoluta compare corporis
A mole ſat ſint, at ſupereſt ope
Nitamur ut ſumma pudici
Ne thalami merita exoleſcant.
Intelligant & poſtera ſecula
Quàm nos amantes nexuerit duos

Affectu

Affectus ardens, & cupido
Mutuus, igne facis maritæ.
Non conſequemur funeris improbo id
Sumptu, ſepulchri mole nec ardua,
Nec dextra Apellis, Phidiæúe,
Exequijs neque perſolutis.
Iniurioſi temporis hæc timent
Obliuiones, & cariem, & ſitum:
Subducet his uentus, uel imber,
Vel ſenium, decus atque honorem.
Cæi poëtæ hoc Pierides dabunt,
Scriptæq́; triſti carmine næniæ,
Quas deinde teſtudo recuſſis
Dulce ſonans fidibus recentet.
Teſtes amoris coniugijq́; erunt
Hæc de ſepulta ſcripta Gelonide,
Dum Sequana urbem Pariſinam
Diuiduo amne fluens ſecabit:
Voluminoſo lapſus & alueo
Normana adibit tortilis æquora,
Altiq́; dum ſcandet Senator
Atria purpureus palati.
Proli Philippi plura quis adſtruit?
Pugnáx ne Lagi filius, ad Pharon
Exangue dum defert cadauer,
Funerat eximiáque pompa:

Curat referriq; in numerum Deûm, & Sacros honores ſancit? an inclyta
Victoris euulgans Clitarchus,
Et Siculus Diodorus acta?
Scriptore rerum nil diuturnius
Geſtarum, & ipſis hiſtorijs. meum
Teſtari eo pacto dolorem, ac
Flere uelim exanimam Gelonim.
Vos coniugalis quos ſociant tori
Laudata Chriſto fœdera, ſola quos
Delectat uxor caſta caſtos,
Sponte poëma meum legetis.
At quos lupanar peſtiferum iuuat,
Et pellicatus gaudia turpia,
Secedite iſtis à libellis,
Odi ego uos ueluti profanos.

AD IO. BRINONEM SEnatorē Pariſien. Villaniarū dominum.

PRAETERIVERVNT duo, Brino, menſes
Iam, tuus poſtquam ſenet hic Macrinus,
Et moræ ægreſcens patitur moleſta
Tædia longæ.
Interim abſenti ſua rapta coniunx
Morte feſtina illa placens Gelonis,
Ah uiri æternum memoranda grato
Ore Gelonis.

Prima

Prima nuptarum, fuit illa donec
Viua, moratæq; probitate uitæ:
Poſtquam at exceſſit, ſuperis in axe
Addita Diuis.
Ut mihi angorum ſeges aucta ſurgat,
Senſibus curæ ut renouentur imis,
En mihi Druſus gener inquieta
Lite laborat.
Cuius ut cauſam uideas, precamur,
Iudicis partes obeas & æqui,
Te quod acturum ſcio, nemo quãuis
Antè rogarit.
Sponte currenti ſed equo, quod aiunt,
Sæpius ſubdi ſolet acre calcar,
Quô fuga latum celeri incitatus
Peruolet æquor.
Non opus noſtro monitu, fatemur,
Ut tui adiutes generum poëtæ,
Sat ſuperq; in nos tua nam pateſcit
Prona uoluntas.

DE MORBO ET OBITU GELONIDIS.

TAM rari capitis Melpomene pia
Dic triſtes obitus, duraq; funera,
Et ſolare uiri corda Gelonide
Amiſſa propè mortui.

Annis illa tribus tuſſijt integris,
Pulmonum euomuit follibus excitis
Rubris ſputa notis ſanguinis illita
Cum tuſſi aſſidue exſcreans.
Quid non Pæoniæ miſcuerunt opis
Inſignes medici, patria quos habet?
Venère Herbulius, Cottarus, Acrimons,
Necnon Galcherius domum.
Nil herbæ faciunt, tritáque pharmaca,
Nil uictus ratio, & puluis aromatum,
Toto in deterius cuncta triennio
Cedunt, & medici ſtupent.
Quanto magnanimi robore pectoris
Immitem illa uicem pertulit, & luem
Morbi tabificam! ſollicita ut nihil
Quod iuſſum foret ábnuit!
Matronæ interea munere fungitur
Indefeſſa, domus cuncta negocia
Curat, diſſimulat ſtrenua & intimi
Vim morbi inſuperabilem.
Aetholæ tunica coniugis Hercules
Sumpta, peſtifero ſanguine collita
Neſſi, non tulit incendia fortius
Oethæo moriens iugo.
Vicini quoties, & ſoror, & parens
Aegrotantem adeunt, proſilit obuiam,

Occultátq;

Occultatq́;,poteſt quatenus,omnia
Morbi ſigna hilaris ſui.
Illi ſermo frequens de Domino Deo,
Rebus colloquium deq́; domeſticis,
Informat ſobolem moribus optimis,
Et cultu Superûm imbuit.
Cum linquenda domus fortè mihi foret,
Vadendum peregre: oh ne dubites(ait)
Mi uir,carpe uiam,mollibus interim
Fallam tempora fabulis.
Fallam colloquijs,atque libellulis
Quorum frugifera eſt lectio:dormiam
Inter ſæpe diu,muta quietibus
Oblectabor idoneis.
Hortatu aſsiduo coniugis in uiam
Aulæ auguſta petens limina me dedi,
Eheu quàm illa fuit dura profectio,&
Infelix miſero mihi!
Vixdum Luna ſuos finierat dies,
Ex quo abſens fueram compare ab optima,
Funeſta ecce repens febris,& ingruit
Lethi extrema neceſsitas.
Hanc præſenti animo prouida noſcitans
Quæ uerba explicuit! quámq; ſalubriter
Adſtantes monuit,recta capeſſerent,
Mundi auris neque fiderent!

P oſt hæc deficiens laudibus in Dei,
I n Chriſtúmque uocans ut ueniam daret,
M ox felicem animam reddidit in patris
V enturam Abrahami ſinum.
C laro euecta polo quin ſit ea ambigam?
C um teſtis fuerim relligionis, &
E iuſdem fidei? quàm proba uiderim
Q uàm ſemper pia uixerit?
Q uàm conſtante uirum pectore amauerit,
I lli paruerit ſubdita, literæ ut
S acræ præcipiunt, munia obiuerit
V xoris ſatagens bonæ?
D octrinæ imbuerit nectare liberos
C æleſtis, ſtudio fouerit intimo,
M atri morigerans ſemper adhæſerit
M orbis inualidæ ac ſeni?
I n nudos fuerit prodiga pauperes?
Q uanuis parca rei cætera & abſtinens
P riuatæ, reliquis quæque notabile
M atronis ſpecimen daret?
H is nam conſpicuam moribus æthera
A dmiſſam in liquidum incredulus hæſitem?
G audere aligeros inter & Angelos
I mmortalia gaudia?

PRO GELONIDE
preces ad Dominum.

PRO tua ſupplex pietate noſtræ
O Deus, quæſo miſerere nuptæ,
Hanc bea iugi requiete nuper
Morte ſolutam:
Carnis exutam ſpolijs & huius
Lucis æternæ radijs ſerena,
Viuat ut tecum, Deus alme, cuncta in
Secula felix.

AD INVIDVM. PENElopes, & Gelonidis comparatio.

CARPIS quòd nimijs laudibus efferam
Extinctam propera morte Gelonida,
(Quadrageſimus annus
Vix expleuerat orbitam,
Cum ſæua innocuam ſubruit Atropos,
Immatura colus filaq; diſcidit,
Atque ætatis honorem
Vnca falce fera abſtulit.)
Si liuore nigro percitus inquias
Hæc, nil probra moror, uix facio & pili,
At ſi neſcia ueri
Mentem inuaſit opinio,
Inſigni uſque adeò laude Gelonidem
Indignamq; putas, immodico uirum
Et contendus amore
Tranſuerſum penitus rapi:

D a te morigerum, da docilem obſecro,
A tque audi placidus quæ loquor, omnium
P rimùm, faſq; piumq;
S it manes uenerarier,
A tque ipſos meritis tollere laudibus,
D einde efferre palàm fercula funerum,
N ecnon condere rite,
E ffuſa ad Superos prece.
O ſi fortè tibi cognita coniugis
E ſſet uita meæ moribus aureis
E xornata, niténſque,
C ondîta & fidei ſale!
V elles Mæonidæ grandiloquentiam
N on in Penelopes gratiam inaniter
F icta laude uagari,
L uſis uafritie procis.
F ac commenta nihil fingere homerica,
F ac caſtam eſſe procis inſidiantibus,
T elam & nocte retextam,
E t ſeruatam Ithaco fidem:
C ollatam his meritis Icariotida
C um noſtra ne uelis eſſe Gelonide?
M ulti nominis illa
E t ſi uxor fuerit Ducis?
O rnarintq; genus ſtemmata regia?
V irtus omni hominum par generi poteſt

Dono

D ono accreſcere Diuûm,
N ec refert locuples inops
Q uis ſit, iuſtitiæ dum teneat uiam,
P eius morte nefas & fugiat, neque
F amam turpibus actis
V ilis dedecoret ſuam.
Q uanquã hac parte ſumus nos quoq; ſplendidi,
C laro nata loco, & commemorabili
S tirpe educta Gelonis
C iues inter erat ſuos.
A t uiginti Ithacus meſsibus abfuit,
E ſſent dum Priami Pergama diruta,
D úmque euaderet æquor
P er uaſtum in patriam redux.
M anſit caſta domi Penelope interim,
N ullis uicta minis connubialia
V nquam fœdera rupit,
P romiſſæ fidei memor.
M ulto coniugij tempore ſæpius
A bſens ipſe etiam, dum proceres ſequor,
A tque auguſta frequento
F rancæ limina regiæ.
C ompar interea delituit domi
E xpectans animis ſollicitis uirum,
E t uirtute magiſtra
N atos impigra nutrijt.

Vnus coniugio traditur ex eo
Natus Telemachus,fertilis admodum
Bis ſex noſtra Gelonis
Auxit pignoribus uirum.
Inſignes lepido carmine amantium
Noteſcunt Nemeſis,Lesbia,Cynthia:
Quis non lege iugarant
Sacra iura Hymeneïa.
Si deforme uiro eſt magnifice loqui
De conſorte tori,Naſo agitur reus;
Pontanúsque Ariadna
Præco candidus in ſua.
Et laudes meruit Claudia Statij,
Lucani celebris Polla opera fuit,
Quæ facunda iuuabat
Scribentem numeros uirum.
Exemplo ueterum carmine ducor ut
Vxorem exanimam perpetuem,licet
Omnes omnia dicant,
Et taxent ſtudia hæc pia.
Præſertim rutilo cùm liqueat polo
Factam illam eſſe Deam,cœtibus additam
Sanctis Cælicolarum,
Succos ducere nectaris.

AD EVSTA-

AD EVSTATHIVM BELLAIVM
magnum eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconum.

EVSTATHI, quanuis careas amanda
Prole, nec uel ſors tua uel ſeuera
Lex ſacerdotum ſinat ut iugali in
Fœdere uiuas:
Sunt tibi fratres tamen, atque fratrum
Liberi, qui ne uidearis orbus,
Néue inops prolis faciunt, nouantes
Stemmata gentis:
Gentis antiquæ, generisq; clari,
Quod ſua fultum ſerie per annos
Splenduit multos, Capeti ante priſca
Tempora Regis.
Cui quòd obſtaret, neque ferre uero
Surripi hæredi diadema poſſet,
Abtulit duras ſub acerbiore
Vindice pœnas.
Marte nam crudeli ea gens redacta in
Ordinem, amiſit bona penè cuncta,
Opprimi ius ut ſolet à ui, & æquum
Cedit iniquo.
Inde poſt longam celebris poténsque
Geſſit ætatem meritos honores,
Et fuit magnis patriæ in periclis
Sæpe leuamen.

Fata ad hæc donec meliora uentum eſt,
Litteræ florent quibus elegantes,
Atque collucent reparata fuluo
Secla metallo.
Nunc tuos duræ meminiſſe ſortis
Inq; iuſtarum iuuat ultionum,
Et domum gaudent ueterem uigere, &
Eſſe potentem.
Filios fratrum ſatagis tuorum
Artium cultu inſtitui bonarum,
Clarius reddat genus ut uetuſtum
Addita uirtus.
Cura quid maius faceret paterna
Is ſuo quos & genuiſſet olim
Semine, hæredes ſibi & ipſa ſolos
Eſſe iuberet?
Iſta ſcribentem ſpecioſa uatem
Pectore adſtricto dolor intus urget,
Et cadunt furtim lachrymæ per ora
Humida obortæ.
Indicæ ſuccis mea nupta cannæ
Dulcior nuper modicam regebat
Sic domum, donec rapuere fata
Tabe pereſam.
Heu tuos notus tero dum penates
Et frequens conuiua, repentè triſtis
Nuntius

Nuntius caram retulit Gelonin
Funere merſam.

IN ASSVMPTIONE
Virginis Mariæ.

CHRISTI *genitrix ô uenerabilis*
Dicent beatam ſecla per omnia
Quam nationes pòſt futuræ,
Laude pia meritámque tollent.
Huius diei feſta celebritas
In quo petiuiſti æthera lucidum
Nobis ſalutarem medelam
Conferat, auxiliaris & ſit.
Tu temporali morte reſolueris,
Sed mortis atris nexibus haud potes
Virgo aggrauari, deprimíue,
Quæ dominum genuiſti Ieſum:
Decorporatum carne tua, omnis at
Experte labis, dum ſacer Halitus
Commercij ignaram uirilis
Axe ſuperueniens inumbrat.
Mors hæc quid egit! quid tibi contulit!
Ad clara uexit cæli habitacula
Te ſtrenuo aſſumptam Angelorum
Obſequio, uolucriq́; penna:
Sis nato ut iſtic iuncta perenniter
Eiuſdem & aſſeſtrix lateri hæreas;

P atrona clemens obſecrantum
T eq; hominum ſine fine regnes.
F rontem corona cingeris aurea,
F ulgente gemmis & diademate,
F ert dextra ſceptrum, candidæq;
C olla obeunt tua margaritæ.
A mbit nitenteis Sol humeros tibi,
S parſim coruſcis & radijs tegit,
C uruatur at Phœbe bicornis
S ub pedibus niueisq; plantis.
H oc luculento prædita ſchemate
R egina cæli ſancta decemplicis,
O gentis humanæ querelas
A udi agedum, ueniæ impetratrix.
I nter miniſtras æthere quas habes,
N oſtram Gelonin fac numerarier,
Q uam nuper immatura merſit
F unere mors obeuntem acerbo.
N on illa uirgo eſt, pignora nam edidit
B is ſex marito: caſta tamen fuit,
M orumq; ſectatrix bonorum,
A tque tui ſtudioſa nati.
G audere puro non modò uirginum
C œtu, pudicis matribus at ſoles
O Diua, nam uirgo mereris
S ola eadem atque parens uocari.

AD

AD GELONIDEM.

VLLA ſi reſtat tibi cura noſtri,
Atque reſpondes in amore nobis,
Nuper in cælum niueis Geloni
Vecta quadrigis:
Huc ades nonnunquam, agiliq; lapſu
Coniugem mœſtum per inane uiſe,
Da tua interdum niteatq; imago
Noctis in umbra.
Priſtini fomentum ades huc amoris,
Atque inextinctum releua dolorem,
Quẽ mora, & gignit chaos, inter ipſa &
Valla uiarum.
Cornea porta ſed enim uidere
Hinc tuos manes aueam Geloni,
Vana non ſpectri per & acta portam
Somnia eburnam.

AD EANDEM.

LVX centena agitur mihi
Mœrenti in tenebris, ſemper & abdito,
(Nam quî compare gaudeam
Amiſſa uacuus ſolus in ædibus
Hortatrice Gelonide
Illa inquam, & ſtudij ſignifera mei!)
Ex quo te rapuit fera
Mors, fatiq; grauis ſumma neceſſitas.

Tu ſaltem interea memor
Noſtri coniugij tedæ & amabilis
Viſiſſes uiduum uirum.
Tu ſolata tuo colloquio fores
Curis anxium edacibus
In ſomnis, medio uel referens die
Te nota ſub imagine.
Non noctes tacitæ gratáque ſomnia
Non reddit mihi te dies.
Hunc umbra in thalamum non tua uentitat
Blandis uocibus admonens
Me, ſint quanta tibi gaudiáque indicans,
Stellata ætheris in domo,
Lætisúe Elyſij florigeri locis.
An quem flere uides uirum
Spernis delicijs ebria iugibus,
Et Diuûm addita cœtui!
An te parua Helene, paruus Honorius,
Prima alui duo pondera, &
Dulces coniugij primitiæ tui,
At nobis nimium breues?
An cum Dorothea cúmque Theophilo
In cunis Helenus puer
Extinctus propera morte, Pilippus &
Horum maximus omnium,
Tecum in floricomo gramine luſitant,

Ac ducunt

Ac ducunt choreas leues,
Aeternis hilares in uiridarijs?
An ſi iſtic uolucres canunt,
Mulcent mellifluoq; aëra gutture,
Et lactis liquor & faui
Iſtic & latices nectarei fluunt
Nunquam deficientibus
Riuis, ad nemoris frondicomi latus,
Iucundóque uirentia
Curſu prata ſecant, manibus & pijs
Præbent obuia gaudia,
Tu ſecura tui coniugis interim
Solati nihil afferas,
Nec grata facie triſtitiam leues,
Cor preſſum mihi quæ comeſt?
Fac quod Philacides, & cupidum tui
Me tecum rape ea in loca
Quæ felix colis, in regna perennia:
Vt tandem hos gemitus graues
Hæc uitæ fugiam tædia languidæ.

AD CAMILLAM FILIAM.

TVME tu in lachrymas Camilla ſoluis,
Mœroremq; meum integras uidendo,
Iuſtas heu renouans mihi querelas.
Sic nanque exprimis ore, amore, geſtu,

Inceſſu, atque habitu modeſtiore,
Flauis criniculis ocellulisq́;
Matrem dulciculam tuam Gelonin,
Illam dico uenuſtulam Gelonin,
Matronale decus, puellularum
Viuum exemplar & elegantiorum,
Quas uitæ uia iuuit integellæ:
Gutta ut non ſimilis ſit ipſa guttæ,
Ouo ouum mage, lac magis ue lacti.
Proin dum te aſpicio, hæſito dolendum
Lætandum potiùs ne ſit, Camilla,
Spectanti mihi candida ora matris
In te ipſa, & tenerùm genas rubentes:
Repræſentat enim exprimitq́; formam
Maternam ſpecies Camilliana
Sic, mecum ut tacitus ſubinde muſſem
Preſſo murmure, & inſuſurrem amicis:
Sic uultum atque oculos ferebat illa
Mellita uſquè adeò, & placens Gelonis.
Gratum id: uerùm eadem quòd abſit angor,
Quæ te comere munditer ſolebat,
Necnon pectere, ueſtibúsque raris
Luce ornare decentiùs celebri.
Quæ te plus alijs ſuis amabat
Formæ ergô, ingenij uigore & acris.
Quæ crebras dabat oſculationes,

Ac te

A c te molliculo in ſinu fouebat,
I nformans teneram, inſciamq; rerum,
D octrinæq; elementa prima tradens,
S umma non ſine recreatione,
E t deſyderio tuos uidendi
P rofectus, legeres uel ipſa ſi quid
D octrinæ utilibus ſacræ libellis,
V el telas ſueres acu Batauas,
E t ſudaria pingeres colore haud
V no Setaba, Sericisq; filis,
M auritania qua ſueuit arte
P eplum inſcribere lineum ſcienter
M æandris uarijs, & implicare
F ormis mille nouis ſinus fluenteis.
I lla eheu illa obijt magiſtra dulcis,
I ndulgensq; tibi parens, Camilla.
N ec tu iam amplius aut tuæ ſorores
C onſpicabimini abditam ſepulchro, an
A dmiſſam magis æthera in coruſcum?
S ancto ut cum grege uiuat Angelorum,
I mmortaliter Indigesq; regnet
A ſpectu Triados beata diæ.

Finis primi libri.

SALMONII MACRINII IVLIOdunen. Cubicularij regij Næniarum liber ſecundus, De Gelonide Borſala uxore chariſs. nuper defuncta: Ad Adrianum Druſum generum ſuum.

IMMATVRO obitu hoc coniugis optimæ
Hærentisq; mihi ſenſibus intimis
Miſſa Druſe mones dulcis epiſtola
Multis ingenij luminibus lita,
Perfuſaq; fauis eloquij tui,
Me fortem exhibeam, magnanimum, arduum,
Atque erectum animi, morigerúmque ei,
Qui uitæ dator eſt, quam repetit tamen
Quando collibuit, nec querimonia eſt
Vlli iuſta homini, cur ita agat Deus.
Vas quærat figulo fictile an à ſuo
Sit cur urceolus cúr ue ſit amphora?
Cur magni precij cur minimi? id nefas.
Reſpondebit enim ſic libitum mihi eſt,
Nec uas artificem iure redarguat.
Inculcans igitur talia identidem
Pauli ex uiuificis ſumpta ſacrarijs,
Conaris ſoceri tædia pellere,
Et ſopire animi mæſtitiam mei.
Addis præterea, nuptam ita mortuam

Te præſente meam teſte & idoneo,
Vt ſit flere nefas ipſius exitum.
Illi ſermo fuit uoxq́; nouiſsima,
Cum adſtantes moritura erigeret modò
Diuinis monitis erudiens, modò
Cum demiſſo animo poſceret arbitrum
Cæleſtem ueniam, uoceq́; ſupplici
Oraret miſeræ ut propitius foret:
Vellet participem ſanguinis eſſe eam
Vltro ille arborea quem cruce fuderat,
Pro culpis hominum uictima ſontium
Iudæi tumuli uertice in edito.
His uerbis, fateor, Druſe ſalubribus
Non pugnare pium eſt, uerius & nihil
Cortina ediderit Delphici Apollinis
Vnquam. Neſcio quo me fragilem tamen
Tranſuerſum dolor ac æſtus agit modo
Curarum, in trepida mente reciprocans
Inter ſpem atque metum, & pectore mobili.
Manant ſcripta lego dum tua lachrymæ
Furtim, implentq́; ſinus, oraq́; triſtia:
Et nunc cura ſubit me uietum ac ſenem
Intus diſcrucians de grege liberûm,
Quærenda eſt teneris queis alimonia,
Mores artifici pollice molliter
Fingendi, ſolet ut cera noua & ſequax.

Vnius fuerat quod ſtudium hactenus
Matris, nunc humeris prægraue onus meis.
Succurras niſi ſi Druſe Gelonide
Rapta mecum obeas iſtáque munia,
Me cum uxore tua fractum animi, anxiuḿ,
Perplexumq́; iuues, tu ſocerum, hæc patrem.
Solantur ſed enim miq́; animum erigunt
Preſſum uerba meæ coniugis ultima,
Acta & uita prius puriter, infimo
Quàm inculpata poteſt eſſe hominum ſolo:
Hîc nemo uitijs nam ſine naſcitur,
Aſt ille eſt, onerant quem minima, optimus.
Eius quæ pietas, relligio, fides!
Quantus Druſe pudor, quantaq́; caſtitas!
Quàm prompta inq́; inopes dextera! credere
Quæ me urgent thyaſis eſſe Gelonidem
Admiſſam æthereis, & Superûm choro.
Hanc ô eſſe ratam ſpem Deus approbet.

AD. IAC. GOPYLVM MEdicum, De ſecunda Auguſti.

HIC annus eheu me niſi coniuge
Orbaſſet atro Gopyle calculo
Signatus, ob raptam Gelonin,
Archetypon decŏris ſtolati:
Annis duobus quattuor additis

Ad

Ad luſtra feſtus mi foret hic diès,
Quem menſis Auguſti ſecundum
D inumero, memor uſque tedæ.
N anque hoc Gelonis nupſerat aurea
V ati Macrino, ut pignora gigneret
B iſſena dein prægnans marito,
E t modicas cumularet ædes.
E x ijs ſuperſunt ſex modò, cætera
E xtincta iam pars commemorabili
C um matre, florentem ab iuuenta
Q uam rapuit uiolenta Parca:
S iuit Macrinum nec diuturnius
N upta fruiſci tam ſociabili,
A t triſtem & afflictum & rigantem
C ontinuo imbre genas reliquit.
T urtur ſuëuit ſic uiduus ſua
C onſorte denſis frondibus arborum
E ffundere argutas querelas,
G utture & ingemere uſque rauco.
H anc cantionem perdius occino
P ernoxq́; poſſet Perſephones nigro
Q uæ luminis dîas ad auras
E thalamo reuocare manes.
C ompar marito melle ſuauior
Q ui cum fuiſti tum querimoniæ
I gnara, tum rixæ tot annos,

Dulichius fuerat quot abſens.
Tot cui edidiſti caſtaq; liberos
Quot ſunt labores Herculis impigri;
Andinus in libros poeta
Quot ſecuit profugi acta Trois:
Mecum tibi eſſet uiuere ſi integrum,
Nec fati adegit dura neceſſitas,
Cur dereliquiſti maritum
Inualida tremulum ſenecta?
Quid fingo demens ſomnia inania?
Vis dura lethi te miſeram mori
Vrgebat,inuitamq; natos
Deſerere,& uacuos penates.

AD CHARILAVM FILIVM.

SEDE Prælarum modò clauſus arcta,
Eruditores uenerare Ramum
Atque Tallæum,duo rara noſtri
Lumina ſecli.
Ii tibi Tulli eloquiumq; & artem
Suggerent fandi,docilemq; libris
Imbuent græcis, bibulas uigil cum arrexeris aures.
Cultui primùm Charilaë mentis
Vt uelim naues operam,Deoq;
Seruias,& ſit tibi ſumma morum
Cura bonorum.

Diſceres

Diſceres fruſtra ſophiam, nec eſſet
Nomine hoc unquam (mihi crede) dici
Digna, ni toto Dominum Deumq;
Pectore amares:
Crederes ipſi, faceres libens quæcunque præcepit, fugeresq; noxas
Quæ prophanatos in opaca Ditis
Tartara trudunt.
Ille te orbauit genitrice nuper,
Ad poliq; eius reuocauit arces
Spiritum, ut regnet Geniјs beatis
Additus illic.
Quippe conceſſam cum animam genitrix
Egit excedens tua, deprecata eſt
Sedulò Chriſtum, ueniamq; feſſo
Ore petiuit.
Rexit adſtantes monitis amicos,
Vt precarentur Dominum locuta,
Nollet admiſſis morientis aſper
Eſſe rogarent.
Præco uocalis fidei ſacratæ
Enthea Paulus face aduſtus, inquit
Mortuos nobis minime ethnicorum
More gemendos.
Ethnicis uitæ quia ſpes futuræ
Certa deeſt, nobis fluuio renatis

L uſtrico, Chriſtumq; Deum profeſſis
Aſtra pateſcunt.
E xitus matris memor eſto ſemper,
A emulus matremq; imitare ſanctis
M oribus, nec tu bene non precare
Manibus eius.

DE GELONIDE, EX GRAECO FRANCISCI BERALDI.

HIC ſunt ſepultæ ſaxa Gelonidis
E ius, uiator, quam ſibi duxerat
M acrinus uxorem poëta
V irgineo teneram pudore:
Q uamq́ue ipſe felix prole dein pater
V idit beatam fortiter ut decet
P artus dolores perferentem,
T anti oneris neque mole fractam:
L ucina cum eſſet ſollicitæ obſtetrix,
D uros labores & Dea fœminæ
P erſæpe ſuccurrens leuaret,
A uxilio ambitioſa prompto.
L iuore edaci ſed nihilominus
A c bile tandem concita, gloriam
F œcunditatis copioſæ
N on tulit heu, miſerámque liquit

Matremq;

Matrémque nuper multiparam ſuis
Priuauit atrox partubus, atque eam
Omni uoluptate indidem quam
Proſpere erat prius aſſecuta.
Sed flexit haud hoc ſæuum animum Dea,
Morbum immerenti ab tabificum intulit,
Affecta quo, languénſque multo
Tempore ſuccubuit miſella.
Ex me hæc, uiator, noſſe tibi obuium
Feruens Macrini qua me amor impulit
Vxore de ipſius referre
Innocua, ſcelerisq; pura.
Mores probatos & niueam fidem
Præſtantiorem dotem opulentia
Vxoribus, dicet maritus,
Compare dignus ea poëta.

AD SVSANNAM FILIAM
Adr. Druſi coniugem.

QVIN Decies uixdum facta interlunia, uixdum
Diana curſum menſtruum
Compleraт toties, ex quo face iuncta iugali
Suſanna dulcis, nupſeras
Felici auſpicio, ſic Dij uoluere fauentes,
Colla & iugo ſubieceras,
Cùm tibi dilectam mors immatura parentem
Languore longo ſuſtulit

Nuper, & octaui finito tempore luſtri,
Necnon duobus menſibus:
Tot ſiquidē meſſes coniux mihi cara, tot annos
Defuncta quando eſt egerat:
Quando eſt ſtelligeri reuocata ad limina cæli
Illic futura perpetim.
Solati tamen hoc mortem tulit ante Gelonis
Coniux mihi cariſsima,
Ex Druſo quòd te grauidamq́; uterumq́; ferētem
Suſanna, uidit coniuge.
O mihi concedas ubi lenior Ilithyia hac
Te liberarit ſarcina,
Auſpicióque bono fœcundam ſoluerit aluum,
Naſcatur ut ſi fœmina,
Et uitalis erit, cum fonte piabitur almo
Perfuſa lymphis luſtricis,
Dulce auiæ nomen ferat ipſa Gelonidos, & ſic
Memoria duret mortuæ
Cōparus, Hercle mea cuperē quā morte redēptam:
Alceſtis ut uicario
Fato olim fertur carum exemiſſe maritum,
Laudata mulier uatibus.
Vt mihi concedat quod poſtulo Druſus & ipſe
Suſanna, uir concors tuus
Curabis, blandis illumq́; precabere uerbis
Se præſtet exorabilem.

Nomine

Nomine mnemoſynon uos integretis amatæ
 Gelonidis proli indito.
Carminibus conabor idem, lyricisq́; libellis
 Scriptis in eius gratiam.

AD MARIAM FILIAM.

ANNVM agens ſextum decimum ille Cæſar
 Deinde qui uicto dominatus orbi eſt,
 Quique frenauit domitos ſecundo
  Marte Quirites:
Patrem ut amiſit nec opinus olim,
 Dum repentino cadit ille fato,
 Tabe ſic rapta eſt totidem tibi annos
  Mater agenti.
Tabe ſed lenta, creperóque morbo,
 Quo laborauit propè treis decembres,
 Crebra cum tuſsis quateret cruenta
  Fruſta ſcreantem.
Fruſta pulmonum ſaniémque putrem,
 Ferre opem cuique ars nequijt medentum,
 Sedulò quanquam omne genus darentur
  Pharmaca & herbæ.
Nubilem cum te genitrix uideret,
 Quàm ſibi optabat generum inueniri
 Splendido natum genere, & probatis
  Moribus æquum!

Nam bonos mores faciebat illa
Pluris Eois opibúsque & auro,
Quod Tagus flaua uehit atque Lydus
Hermus arena.
Attici dictum Ducis approbabat,
Ante non ditem generum ferentis
Dum probus, diti genero bonarum
Artium egeno.
Ergo nos ſoli quoties eramus,
Déque priuatis ratio incidebat
Rebus, hoc mecum monitis agebat
Strenua crebris.
Cùm tibi fortè eligerem maritum
Quem tamen gnarum patuit ſubinde
Aleæ, diſſuaſit, eum ualere &
Prouida iuſsit.
Parui nuptæ, fateor, libenter
Filiæ rebus bene conſulenti,
Atque eum exoſæ cui cura habendi
Nulla peculi.
Dum loquor manant lachrymæ per ora
Ecquid ubertim tua! ne doleſcas,
Néue formides, utriuſque obibo
Munia poſthac.
Antè nec contentus ego acquieſcam,
Quàm tuæ prouiſum erit huic iuuentæ,

Luxerit

L uxerit fauſto tibi quàm iugalis
O mine tæda.
I am proci inſignes ueniunt petitum
N ata te, poſcunt ſocerum & Macrinum,
C ùm tibi ſit dos mediocris, & mi haud
A mpla ſupellex.
I ſtud, ô dulcis Maria, oro ſupplex
P roſperent factum Superi fauentes,
E t tui aſcendat patris haud nouerca
D ura cubile.
C ælibem uitam ſtatuo in futurum
V iuere, ut proſim ſoboli, nec illa
D iuidat mecum bona quæ paraui
Altera coniunx.

AD IO. BELLAIVM CARDINALEM.

VXORIS placidæ funere flebilis
C onfuſusq; animi ſcribere qualia
B ellaï, carmina uellem
A duentu nequeo tuo.
I uncta ut neſcio quo ſydere (paruulis
S i conferre licet maxima) noſtra ſors!
I dem horoſcopus ut nos
A ſpectu parili regit!
T e uatem egregium Delphica laurea
C inxit, me teneris iuuit ab unguibus

Carmen, durus utrique hic
Noſtrum annus fuit ac nocens:
Romæ multa odio paſſus es hoſtium,
Quos uirtus tua quos gloria torſerat
Has quæſita per arteis
Quæ claros genere addecent.
Extinctæ crucior morte Gelonidis,
Augebat modicam prouida quæ domum, &
Mira accincta regebat
Natos ſollicitudine.
Hæc iniecta humeris ſarcina nunc meis
Sim ſemi ipſe licet mortuus, aridus,
Pannis obſitus, annisq́;,
Ac caſcum ſilicernium.
Cùm primùm faciem uidero ſed tuam,
Et mi ſplenduerit uultus amabilis
Hæc quo corda ſerenans
Vultu nubila diſcutis:
Phœnix depoſito ceu iuueneſcere
Conſueuit ſenio quina ubi ſecula
Bis confecit, ouánsque ad
Ortus nare Hyperionis:
Functæ poſtpoſito ſic ego coniugis
Mœrore interea, te reduce & fruar,
Ducam & fata ſenectæ in
Vires reddita priſtinas.

AD

AD TIMOTHEVM FILIVM.

NON tibi proſperitas ea, non acceſsio rerum
  Quæ nato fuit antè Cononis,
Cuius nomen habes poſitum luſtralibus undis
  Qua tu primùm luce renatus.
Huic, ſi Græcarum ſcriptoribus Hiſtoriarum
  Credere par, neque uana loquuntur,
Sopito, & maculis diſtinctum rete tenenti
  In manibus, ſeſe innumeræ urbes
Sponte dabant, in rete & apertum conijciebant:
  Qua ſcitè ſub imagine Græci
Expreſſere ducem pictores, protinus urbeis
  Felicem quas cingeret omnes
Obſidione, quibus bellúm ue indiceret, ullo
  Timotheum capere abſque labore.
Te labor & primo dolor inuaſere ſub æuo
  Lactis adhuc alimenta bibentem,
Sub ſegni nutrice tua cunisq; iacentem,
  Liquiſſet ſecura cubili
Cum incuſtoditum, uagitu & tecta replentem:
  In præceps heu lapſus ab alto
Fregiſti ſpinæ miſer oſſa tenerrima ſacræ,
  Cui chirurgi admota mederi
Nunquam dextra malò potuit, gibbusq; remãſit
  Et deformis pectore ſtruma.

Hinc tibi biſſenũ Lacheſis cum uolueret annũ, &
Matris adhuc opis indigus eſſes,
Illam Parca rapax ab funere merſit acerbo,
Atque ſcidit uitalia fila:
Quo tibi nil potuit contingere triſtius unquam,
Nilq́; mihi inualidóque ſeniq́;.
Nãq; domus columen moriẽte Gelonide uerſum
Orbati rectrice penates. (eſt,
Ne deſponde animum tamen ô puer, aſpice cælũ,
Et ſummo confide Tonanti.
Is tibi erit genitor, tibi mater, & omnia: iuſſis
Si morem modò geſſeris eius:
Illum & adoraris demiſſo pectore, opemq́;
Fretus eo pacémque repoſcas.
Quod moneo ut facias, matrisq́; preceris humatæ
Manibus is uelit eſſe benignus.
Hæc tibi do præcepta pater, quanquã ora genasq́;
Mi madidis rigat imber ocellis.

AD IOACHIMVM BELLAIVM.

SVPREME uatum hîc poſtera quos feret,
Exacta & ætas quos tulit hactenus,
Facunde Bellaï coruſcum
Andegauis Ligeriq́; lumen:
Me bellicoſo condita Iulio
Illuſtre cuius nomen habet, tulit

Vrbs

Vrbs anſerem raucè ſtrepentem
Inter Apollineos olores.
Dulci tuo effers carmine me tamen,
Inter poëtas atque aliquem facis,
De muſca auens barrhum uideri,
Metior at modulo meo me,
Dixere multi Pictona quem prius:
Malim ſed Andes ſint mihi patria,
Vrbs urbium quòd noſtra prorſus
In medio ſita ſit duarum.
De iudicatum ſic & Horatio:
Lucanus, anceps, eſſet an Appulus,
Vtrumque ſub finem colonus
Cum uenuſinus agros araret.
Te propter atqui hinc Andegauus ferar,
Excîtus auræ flatibus ut tuæ
Sublime cantem, proſperoq́;
Sydera celſâ petam uolatu.
Felix Oliuæ carminibus tuæ,
An uate felix illa ſuo magis,
Lauram ſecûtura hinc Petrarchæ,
Quintiliam, Nemeſin Corinnam?
Coniungeretur his utinam mea
Olim Gelonis! mortua ſit licet,
Triſtemq́; decedens Macrinum
Liquerit heu, ſaturumq́; uitæ.

S ic illa uixit cum unanimi uiro,
L aude ut perenni digna ſit euehi:
A t ſolus argutis ualeres
T u facere id Ioachime rythmis.

AD THEOPHILVM FILIVM.

CONTIGIT id puero tibi chare Theophile nuper,
P aridi quod olim Troïo.
A mandareris ruri ut uicturus ab urbe
P aſtorios inter greges.
A t diuerſa tamen ratio uos expulit ambos
R us ex paternis ædibus.
N am Regina Hecube Priamæo ſemine prægnās
D e nocte ſomniauerat
A luo exire facem, diſperſa incendia cuius
A ltam cremarent Ilion:
T otáque corriperent funeſtis Pergama flammis,
O pem ferente nemine.
I d Regina uiro recluſit: protinus ille
V ocat ſuos aruſpices.
R eſpondent partum exitio quandoque futurum
T roianæ & urbi & ciuibus,
I uſſerit hunc ſi mater ali. Sed mota decore
F ormaq́; nati regia
R us pepulit, uoluitq́; inter latitare bubulcos
O riginis ſuæ inſcium,

Pòſt

P òſt impleturum materni ſomnia uiſus
S urrepta Atridæ coniuge.
T e uerò, dulcis puer & dilecte parenti,
N on matris abigit ſomnium.
S ed tantùm eiuſdem mors immatura, grauisq́;,
E t flenda nobis omnibus.
N am medicis morbus poſtquã immedicabilis eſſe
V iſus, Diottæ crederis
N utrici, cunis iam primùm cognitæ ab ipſis,
Q uinquennis atque expelleris:
N e tua garrulitas maternas læderet aures,
C lamoſa ne pueritia.
N on tibi dedecori fuerit, fuerítue pudori
I nter greges uerſarier.
S ic iuſtum uixiſſe haud ignoramus Abelem,
S ic & nepotes Iſaci,
I ſacidemq́; pium, fratres Dauidis, & ipſum:
Q ui cùm paterna paſceret
A rmenta, eſt iuſſu Domini Rex unctus, ibidem
E ius relictus fratribus.
I mmanem hinc Goliam balearis uerbere fundæ
Proſtrauit, armorum rudis,
N ec geſtare ualens Saules quæ ferre iubebat
C ontra Paleſtinum Ducem.
E x illis tamen eſt Chriſtus paſtoribus ortus
Per integellam Virginem.

DE MORTE MARGARITAE
Valeſiæ Nauarræ Reginæ.

SEMOTIS ſcopulus freti Sicani
Sirenes perhibent fuiſſe ternas,
Pulchras ſcilicet ore uirginali,
Filo corporis & uenuſtiore
Tantum pube tenus pares puellas,
Piſces cætera, tortiliq; cauda
Spirisq; implicitas uoluminoſis:
Quæ dulcedine uoculæ canora
Et miro numeris lepore tinctis
Incautos uada in æſtuoſa nautas
Anfractusq; maris uoraginesq;
Aſtutè traherent, & enecarent,
Fallaci illecebra darentq; peſſum
In diſcrimina fluctuum profunda.
Illas præterijt ſagax Vlyſſes
Ceratis comitum auribus, dediſſet
Seſe malo ubi nautico ligandum.
Salſis Oceani Albion in undis
Et ponto undique cincta beluoſo
Felix inſula, prorſus at remota
Orbis corpore ab integro uniuerſi,
Noſtro tempore treis tulit puellas
Ianam, Margarin elegantem, & Annam
Ortas

Ortus ſanguine regio puellas,
Forma conſpicuas uenuſtiore,
Sanctis moribus, ingenijq́; cultu, &
Muſarum ingenua eruditione.
Quæ Sirenibus ut pares canore,
Et mulcedine dulcium modorum,
Sic Sirenibus haud pares doloſa
Submergentibus arte tranſeuntes
Nautas æſtibus æquoris maligni.
Hæ quæ carmina funditant, olympi
Concentum rutili exprimunt, melosq́;
Quod flectunt Genij beatiores
Aeterni ante thronum patris ſupremum.
Nam laudant numeris ſuis Tonantem
Præſagus chely ut aurea propheta
Rexq́; idem pius aſſolebat olim
Sancti nummis entheatus œſtro:
Cum prædiceret affutura Chriſti
Incunabula, uirginisq́; partum.
Cum nuper Libitina ſuſtuliſſet
Hac ex colluuie orbis inquinati
Ad palatia luminoſa cæli
Et ſedes Superûm perenniores
Reginam occiduæ piam Nauarræ,
Franci Regis & unicam ſororem,
O quæ diſticha regiæ hæ puellæ

Non tantum decus Angliæ puellæ,
Orbis ſed triplicis ſuiq́; ſecli
Fuderunt animos ciente Phœbo?
Chriſto dicere uerius uolebam,
Qui plectra enthea uirginum piarum
Afflatuq́; animos ſacro ciebat.
Lydi non melius canunt olores,
Meandri ad uada & Aſiæ paludis,
Non ſymphoniaci chori per artem
Quando gutture mobili remiſcent
Confuſas uario ſonore uoces,
Hæ quàm mellifluæ ſonant puellæ
Parentalia, næniasq́; triſtes,
Reginæ ad tumulum recèns ſepultæ.
Hus ô ſi mea præficis Gelonis
Collaudata foret, Simonidæum
Illis non ego carmen anteferrem.

DE MORTE SAVLIS REGIS *& Ionathæ eius filij Carmen Dauidicum. paraphraſticωs.*

VRBES & agri fundite triſtia
Lamenta, uoces ſydera ad aurea
Efferte, nam ferro cecîdit
Impia gens decus omne Hebræûm.
Gens clara bello procidit arduis
Deuicta fœde montibus. obſecro

Non

N on compitis hæc Aſcălonis,
N éue Gethi uaga fama perfer.
N e tanta clades excitet hoſtium
L ætas puellas ad choreas leues,
T erræ Paleſtinæ iuuentus
N e tumeat, Dominumq́; temnat.
N ec ros nec imber lapſus ab aëre
H umectet herbas, omine Gelboe
O triſtis æternum ſiniſtro,
G ramina nec tua inundet humor.
I ucunda uitis collibus haud tuis
P ubeſcat unquam, granifera haud ſeges
F laueſcat aruis in profanis,
L uxurient neque fronde oliuæ.
H îc heu relictis non bene parmulis
F uſa & fugata eſt Iſacidûm manus,
H îc militum uirtus piorum
M arte cadit ſuperata diro.
H îc Dux cruento in puluere corruit,
T errăq́; mento turpiter attigit
P roſtratus è multis ut unus,
N ec miſerum diadema texit.
C um ſæua obiret prælia Ionathas
E ius ſagitta haud exĳt irrita,
S agitta uelox, fortiumq́;
S anguine ſueta uirûm rubere.

N on hoſtis unquam uel pede uel fero
C ongreſſus acri ſe tulit obuium
I mpune, cum Saules rotaret
F ulmineum fremebundus enſem.
S aules parens, & ſtrenue Ionatha
S aulis parentis conſpicuum decus,
V is dura non mortis diremit
Q uos amor unanimos ligabat:
V obis duobus non leo fortior
Q ui errat Libyſſis uallibus infremens,
R egina non uobis uolucrum
O cyor in trepidas columbas.
V os ô decoræ Coccina uirgines
Q uas induebat ueſtis, & aurea,
R ex quas & ornabat monili
G emmifero, niueisq; baccis:
R egi miſellæ iam lachrymas date, &
L amenta ueſtro, triſtibus omnia
I am tecta crebreſcant querelis,
C ompoſitum lacerate crinem.
V t militum uis fracta ferocium
M artis cruento concidit æquore!
V t Ionatha fortis iaces, heu
M ontibus in patrijs peremptus!
E ffundo mœrens has tibi lachrymas
O luce chara dulcior: ô meis

Dilecte

Dilecte frater plus ocellis,
Viſceribus mihi fixe in imis,
His in medullis condite Ionatha,
Dilecte quantum non ſpecioſam amans
Acer puellam, non parentes
Quam in ſenio genuere natam.
Vt militum uis fracta ferocium
Martis cruento concidit æquore!
Vt Ionathas cum bellicoſo
Montibus hiſce iacet parente!

AD STEPHANVM
Cornificium.

QVID tu Cornifici licenter audes
Has noſtri ſtudij remiſsiones
Hoc eſt uerſiculos leuesq; nugas
Lingua carpere liuidus dicaci?
Idq; hoc nomine quòd Gelonin ipſam
Tæda legitima mihi dicatam,
Et raptam modò ſæuiente Parca,
Ad cælum numeris uocem minutis?
Quid ſi Laida, Lesbiam, Corinnam,
Bannen, Glyceren, Chloën, Neæram,
Sexcentasq; alias in ore uatum
Crebras nobilium canam? fatebor
Tum me Cornifici redarguendum,
Et uatem meretricium impetendum.

C aſtos coniugij at celebro amores,
E t quos lege Deus benigniore
H umanum genus ut ſuperſtes eſſet,
S iue urgente magis neceſſitate
N aturæ in uenerem nimis ruentis,
S anciuit prius, ac licere iuſſit.
N ec uiuam modò, mortuam at ſubinde
I ſtis næniolis Gelonin orno.
S uffragaberis hanc(puto)canenti,
N ec tam manibus inuidebis eius
R ite compoſitisq; conditisq;,
H ac ut laude neges fuiſſe dignam.

Finis libri ſecundi.

SALMONII MACRINI IVLIO dunen. Cubicularij Regij Næniarũ liber tertius, de Gelonide Borſala uxore cariſs. nuper defuncta: Ad Abellium Fontanum Canonicum Pictauien. eiuſdem Gelonidis Patruelem.

TRiſtis & inuitus Fontane hæc carmina cõdo,
Me tamen inuitum condere cogit amor.
C ogit amor, caramq; iubet deflere Gelonin,
F unere quam crudo merſit auara dies:
H actenus ut de qua ſcripſiſſem læta tenore
C ontinuo, mœſtos perſequar inde modos.
V ſura illa quidem longæ digniſſima uitæ
S i matronarum fortè ſit ulla, fuit.
V iſum aliter Superis, æui feruentis in̄ æſtu
Deprenſam, & media qui rapuere uia.
A teneris eius uitam ſi texere cunis
M e iuuet extremum mortis ad uſque diem:
E xempla inueniam memorãda, & laude uehẽda
P lurima, ſeu uirgo, ſiue ea nupta fuit.
V ita quaterdenos eius modò ducta per annos:
V iginti ex illis tæda dũosq; tulit.
B iſſeno partu facta eſt inſignis, in illo
F æminei ſexus quinque fuere grege.

Sex adiere polos, ubi cum genitrice quieſcunt,
Solantur mœſti tædia ſexq; patris.
Atque repræſentant matrem propiore figura,
Quàm mihi ſi Pario marmore ſculpta foret:
Vel Coi ſi docta manus pinxiſſet Apellis,
Eſſet Lyſippi ſiue Myronis opus.
Cætera quid referam plane tibi cognita, Abelli,
Eius germanus qui patruelis eras?
Qua pietate tenes, quibus inclyta moribus eſſet,
Quámque uereretur relligioſa Deum.
In ſeruatorem quanta & fiducia Chriſtum
In cruce perpeſſum fata cruenta, fuit.
Tu ſupremo aderas ſolator tempore, & unà
Ille ſenatorum ex ordine Fabritius.
Queis immortales grates ago nempe duobus,
Veſtra erexiſtis uoce quòd inualidam.
Inualidam membris, uiguit nã pectore ſemper,
Tormenta & lethi fortiter ipſa tulit,
Extremæ donec fieret iam proxima metæ,
Pallentiq; animam redderet ore Deo.
Illa precor felix æterna in pace quieſcat,
Cælituum ſanctis addita ſitq; choris.

DE MORBO GELONIDIS
inſanabili.

TRES medici ægrotam ſanare Gelonida tẽtãt,
Aſpiret ſupero mitis ab axe Deus.

N i fauor afflarit diuina protinus aura
C ontuſis herbis quod medicamen habent:
I ncaſſum fient conatibus omnia uanis,
I rritus in uentos ibit & ipſe labor.
S ocrum igitur rapida male habentē febre Simonis
Q ui ſolo iuſſu præſtitit incolumem:
Q uod medici tentant clementi lumine cernat,
O ptatamq́; tibi mox ferat, uxor, opem.
S olo in eo ſpes eſt, ſanabunt pharmaca non te,
S ed neque Galcherius, Cottarus, Herbulius.
P riſcorum medicus neque Pæon ipſe Deorum,
N ec cuius ſuccis Virbius Hippolytus.
N i Deus affuerit uiresq́; infuderit herbis
Q uid, rogo, dictâmus quid panacæa iuuent?
N umine freta hauri quæ potio cumq́; parata,
N il (mihi crede) malum mortiferúm ue bibes.
F irmat Iöannes ſumpto mea dicta ueneno,
Q uo periere alij, læſus at ipſe nihil.

DE EADEM AEGROTANTE.

HACTENVS immodice nobis dilecta Gelonis
P rima puellarum quando puella fuit:
D ein matronarum princeps ubi iuncta marito
B iſſenoq́; parens facta puerperio eſt:
P roh dolor in triſti recubat propè mortua lecto,
P ulmones tuſſi concutiente cauos.

Depaſcente artus & tabe ita nuper honeſtos,
Contracta in rugas ut cutis omnis hiet.
Acta tamen miſeræ uix quadrageſima meſsis
Vrget eam ſummum iam trepidare diem.
Affectam abſtulerit ſi præceps Atropos illam,
Stamina & immiti pollice meſſuerit:
Extemplo in uaſtam concedã orbatus eremum,
Rorabunt lachrymis graminaq; uda meis.
Vatem flebilibus uincat neque cãtibus Orpheus,
Si functam Eurydicen quærere rurſus amet.
Nam qualis blanda uiduatus compare turtur
Frondibus arboreis nocte dieq; gemit:
Complebo querula nemus & loca confraga uoce,
Irriguo fletus paſcar & imbre mei.
Tunc uos Sangelaſi, Bellai, Ronſarte, Salelli,
Et Cellæ Antoni Cænobiarcha Sacræ,
Carmina de noſtra quàm mœſta Gelonide, quãq;
Luctiſonum flentes conficietis opus!
Terſi Albi Nemeſis, Tyrrheni Laura Petrarchæ
Non mage erit doctis nobilitata modis,
Quàm mea clareſcet rythmis cantata diſertis
Exors Lethææ ſcita Gelonis aquæ.
Ibit in ora uirũm fæcundæ dotibus alui,
Eloquio, & raræ laude pudicitiæ.
Vt formam taceã mihi quæ pulcherrima ſemper
Contento ſola coniuge uiſa fuit.

D ij tamen auertant crudo ne funere merſa
  Materiam tantis præbeat ingenijs.
Sed uiuat potius, natos & ſedula curet,
  Atque oculos claudat me moriente meos.
Quandoquidem digna eſt Cumææ æquare Sybyllæ
  Secula, quæ Pylius uixit & antè ſenex.
Me uerò iam agitur cui ſexageſimus annus
  Vix iactura poteſt eſſe dolenda mori.

AD CHARILAVM FILIVM.

POSTQVAM cõſtiterit te græcis eſſe politum
  Litterulis, & quas Romula terra colit,
Ipſe tuo ingratus nunquam Charilaẽ magiſtro
  Hanc & ſi ueſtem uendere cogar, ero.
Verùm ſi ſit adhuc uiridi tua meſſis in herba,
  Nec dum ea quos fructus ſit paritura ſciam:
Suadeat antè diẽ me quiſnã effundere nummos,
  Exiguæ cum ſint quas tribuamus opes?
Eſt germana tibi maturo nubilis æuo,
  Et tradenda ſuo non ſine dote uiro:
Vos dormire duo me utrámque uetatis in aurem,
  Vos patrem urgetis multa moleſta pati.
Sunt alij fratres teneri magis, eſtq; Camilla
  Quæ matris gremio ſarcina grata ſedet.
Hæc ꝑter quid quod male habet Charilaẽ Gelonis,
  Quæ ueſtra eſt genitrix, et mihi nupta places?

Aegrotæ conſtant multis medicamina nummis,
Vt ſileam impenſas totius ipſe domus.
Nec rerum ualeant reditus ſine lite mearum
Percipier, parcam ſumptibus uſque licet.
Hæc te cõmoueãt, ſtimulus hæc acribus inſtẽt,
Vindicet à curis ut tua cura patrem.
Patrem inquam ſenio qui iam confectus inerti,
Quæ iuuenis tulerit pondera, ferre nequit.

AD GELONIDEM IAM defunctam.

CVR te deſerui, cum tam uicina ſopori
Eſſes perpetuo, cara Geloni uiro?
Hæc mihi præduras memoresq́; abſentia noctes
Excuſanda parum perq́; odioſa feret.
Donec enim uiuam, me iugiter ipſe dolebo
Abs te ſemotum quo morerere die.
Conueniens fuerat cum uixiſſemus amanter,
Turbaſſet noſtrum nulla querela torum:
Cum me diligeres plus quàm matrona maritum
Sueuit, diligerem tè quoque lege pari:
Mutuus eſſet amor totum hic diſperſus in orbem
Carmine conſortis caſta Geloni tui:
Conueniens fuerat inquam ut ſuprema uiderem
Tempora ad æternam te redeunte domum.
Haurirem ſanctos monitus, diuinaq́; uerba,
Quæ fata extremo es mortis in articulo.

Nam

Nā tunc noſſe datū eſt quo proſequerere Tonātē
Affectu, quanta ſuſpiceréſque fide.
Hæc mihi certa tuæ ſunt argumenta ſalutis,
Cum magnis & te degere Cælitibus.
Qui uiuit ueluti uixti inculpata Geloni,
Non bene non poterit tandē aliquando mori.
At mihi ſeiuncto rapuerunt inuida fata
Te iuuenem, morum ſed ratione ſenem.
Biſſeno inſignem partu, tantummodo luſtra
Cùm tibi uix octo clauſa Geloni forent.
Nec miſero licuit ferre oſcula caſta marito,
Ora tua extremúmque ore fouere meo.
Auguſto quondam coniux ut Liuia fecit,
Cùm moriens mœſtum diceret ille Vale.
Lumina poſt mortē manibus non claudere quiui
Soluere iuſta tibi quæq́ue iuberet amor.
Tūc aberā infelix, domina et uerſabar in aula,
Fata reformidans hæc lachrymoſa nihil.
Vt nil eſt homini tutum! cùm gaudia captas,
Res tibi luctificas ſors inopina parat.
At tu nupta alto ſeu degis in æthere felix,
(Vita quod ut credam puriter acta facit,)
Addita ſeu caſtis meritò comes Heroinis,
Vatum & laurigeros inter honora choros:
Elyſij gaudes nemoris conualle uirenti,
Et niuea texis florea ſerta manu:

Flaminiumq́;

F laminiumq; uides, quem mors hoc flebilis anno
A ntè rapit paucos quàm moriare dies.
S yncerū, Strozasq; duos, & Thraca Marullum,
E t cui fleta pijs nupta Ariadna modis.
V iue memor noſtri cariſſima uiue Geloni,
L etheis ea nec cura aboleſcat aquis.
N am tibi coniugij ſocij per uincula iuro,
Vincula non ullo diſſocianda modo:
(Cuncta licet dicant diſſolui morte rapaci,
Pactam interq; duos non remanere fidem:)
M e fore nupta tui memorē dū hoc aëre ueſcar,
Mutabit primam nec noua tæda facem.

CHARILAVS
matrem alloquitur.

IMPEDIOR luctu te quominus optima mater
V erſibus ut merita es ſydera ad alta feram.
Q uid tibi defunctæ uita, membriſq; ſolutæ,
E reptæ & natis triſtibus ante diem,
C onueniens tantis benefactis reddere poſſim,
H inc tibi propitium ni precer eſſe Deum?
M enſibus ipſa nouem multo ſudore tuliſti
Me tenerum, in partu pœna dolórque fui.
A nxia nutrici poſt hæc me tradis alendum,
C úmque æuo creuit ſumptus & ipſe meo.
B is quater acta tibi quinquēnis Olympias, atram
I n te coniecit cum fera parca manum.

Nos pater excepit luctu ſenióque grauatus,
Anxiferisq; æger ſollicitudinibus.
Sufficere heu rebus priuatis cogitur impar,
Amborúmque grauem ſolus obire uicem.
Nos ſenis aſpicimus ſuſpiria propter humatam
Vxorem attoniti, triſtis, egentis ope.
Eſſe nec auxilio teneris his poſſumus annis
Virium adhuc inopes inualidiq;, patri.
Ficta tui non eſt, genitrix, querimonia nati,
Hanc minus ah ueram certe equidē eſſe uelim.

AD NIC. PRATENSEM
libell. ſuppl. in Regia magiſtrum.

DET mihi tam longam diuina potentia uitam,
Cuius in æterna ſunt ſita cuncta manu:
Vt ualeam coràm tibi re ipſá oſtendere demum,
Et non obſcuris ſignificare notis:
Proſequar affectu te uir clariſſime quanto,
Atque animo quàm ſis intimus ipſe meo.
Non ita dilexit Pylades Phocæus Oreſtem,
Non ita màgnanimum Theſea Pirithous.
Nec qui contempta Siculi feritate tyranni
Pro condiſcipulo uas tulit eſſe ſuo.
Omniū amicitias licet æquem affectibus omnes.
Non æquem confers quæ benefacta tamen,
Tu reddis uacuum à curis, ſolaris & orbum
Coniuge me, domui reſtituisq; meæ.

Lingua ſubareſcens mea faucibus hæreat ipſis
Auxilij quoties immemor huius ero.
Quô fit compedibus ruptis ut principe ab urbe
Sequana quam bifida flexilis intrat aqua:
Ad mœſtos redeam, amiſſa rectrice, penates,
Natorum attonito proſpiciámque gregi.

AD IO. AVRATVM Lemouicem Poëtam eximium.

O QVI Dyrcæo modularis carmina plectro
Aurate & niueum pollice tangis ebur:
Ille tibi à paucis notus Salmonius annis,
Sed duratura iunctus amicitia:
(Quippe ſimul Phœbi myſtæ bacchamur ad aras,
Pronaq; Hyãtæis ora rigamus aquis:)
Immatura orat defunctam ut morte Gelonin
Aurea Pindarico pectine ad aſtra uoces:
Eiuſdemq; uetes deleri funere famam,
Perpetuare tuis quam potes ipſe modis.
Non olor ille tuus tantummodo cantat agonas
Elidis, athletis partá ue dona ſacris:
Extincto interdum ſolatur coniuge nuptam,
Caſura & nullo dat monumenta ſitu.
Te quoque ut eripias à Lethes amne Gelonin
Eius uir ſupplex (quando ea digna) rogo.

AD

AD GELONIDEM.

CARA mihi imprimis, et ſēper amabilis uxor,
O uox, ô nomen dulce Gelonĩ mihi.
Siccine mœrētem Macrinũ abſtracta relinquis,
Aufugis à noſtris ſiccine luminibus!
Quæ blandis dabit alloquijs ſolatia poſthac,
Decipiet longos comis & ore dies?
Quæ noſtro inijciet candentia brachia collo,
Et figet preſsis labra uenuſta labris?
Mors ſociam lecti rapuit, menſæq; ſodalem,
Conſortem uitæ, participémque ioci.
Aetherea (credo) felix lætaris in aula,
Et ſecura mei nectar in axe bibis.
Nectar & ambroſiam Genijs coniuncta beatis,
Quæ uitæ integritas quæ tua firma fides.
Elyſia uel nunc forſan ſpatiaris in umbra,
Regum matronis proxima nobilibus.
Et pedibus ducis choreas, & carmina fundis,
Atq; æterna pia numina uoce uocas.
Natorúm ne oblita, tuí ne oblita mariti,
Vitam ubicunque agitas, eſſe Gelonĩ potes?
Ipſe dies miſer & totas ex ordine noctes
Aſsiduis duco flebilis in lachrymis.
Penè duos unà & uiginti uiximus annos,
Incidit & noſtro nulla querela toro.

Tempora coniugij noſtri ſine felle fluebant
  Omnia, & Hyblæo tincta fuere fauo.
Pignora bis caro peperiſti ſena Macrino,
  Pars habitat tecum, parsq; ſuperſtes agit.
Sex præceſſerunt ad cœli cærula matrem,
  Gaudia ſex mihi dant qualiacunque ſeni.
Quos tamen ingenuè ut fatear non cernere, ſiccis
  Colloquio aut poſſum participare genis.
Matris in illorum facie obuerſatur imago,
  Gratáque triſtitiæ ſunt alimenta meæ.
Sex præſertim annos tantummodo nata Camilla,
  Maternam ore ſuo condita ad effigiem.
Sic ut reſpuerit dici Salmonia ſemper,
  Borſala ſed dici nomine matris amet.
Glaucis illa oculis, & fuſis murice malis,
  Et pulchro auricomi flore capillitij,
Staturæ breuiore modo, ſermone diſerto,
  Et geſtu, & filo corporis Hercle tua eſt.
A uultu dici tuus eſſe Theophilus, ipſa
  Et lepida linguæ garrulitate poteſt:
Quam tamen ubertim condit prudentia præcox,
  Ingeniúmque ſagax, quod genitricis habet.
Patrē Timotheus patrem Charilaus ad unguem
  Effingunt menſu corporis atque ſtatu.
Suſannam Mariamq; hæc nubilis, illa marita eſt,
  Ex æquo eſſe meas contigit, eſſe tuas.

Hæc

Hæc obliuiſci ualeas cariſsima coniux,
Tam fidæ inter nos nec meminiſſe facis?
Non puto, ſis quanuis æternis addita Diuûm
Cœtibus, & ſupera in luce perennis agas.
An uetat omnipotēs genitor meminiſſe tuorum,
Téque ſuo totam destinat obſequio?
Deſtinet obſecro, quando parere Tonanti,
Regnare, æthereis delicijsq; frui eſt.
Cum prole interea mœſtus ſuſpiria ducam,
Imbre per humentes uſque cadente genas.
Abſentémque meam ſine fine Gelonida flebo,
Turtur ut amiſſa compare triſtis amat.
Vere ut purpureo frondentibus abdita ſyluis
Concinit extinctum Daulias ales Ithyn.
Vis dicam uerum? facis hinc ſublata Geloni,
Exoptem ut mergi funere, téque ſequi.

AD MICH. QVELINVM
Senatorem Pariſien.

TEMPOra iuſtitij iā ſunt Queline propinqua,
Queis ſolet indici litibus alta quies.
Deciſa eſt generi nec controuerſia noſtri,
Ipſa tamen facilis ſitq; parata licet.
Ex animo & uerè tibi ſi Macrinus amicus,
Ne precor in longas lis eat iſta moras.
Nil niſi legitimum nimirum ac poſcimus æquum,
Ignotis & quod tu dare ſæpe ſoles.

Promiſſis ut ſtes iterúmque iterumq; rogamus,
Sola moræ hæc quoniam lis propè cauſa meæ.
Fac Queline abeam, tumuloq; Gelonida cōdam,
Quam mihi mors uetulo meſſuit ante diem.
Illa fuit rari mulier (mihi crede) pudoris,
Nec tam præcipiti funere digna premi.
Cælicolæ ſtatuêre aliter, factámque coruſco
Vexerunt curru ſydera ad alta Deam.
Nubila ut Helias quondam per inania pernix
Clarum flammiferis æthera ſcandit equis.
Ne cumules ſurdus noſtrum oro dolore dolorem,
Orbato reddas nóſque aliquando lari.
Sic cum pignoribus ualeas, & coniuge dulci,
In ueſtra uideas lugubre nilq; domo:
Quam quoties intro, uideor mea regna uidere,
Et nuptæ ante oculos adſtat imago meæ.
Quàm ſæpe ah dixi, quid me mellita Geloni
Linquis, oportuerat quem tamen antè mori?
Illis uiſum aliter, quorum ſub numine uita eſt
Noſtra, nec ulla homini fas ratione queri.

AD GELONIDEM.

DESEREres ut me iuſſit Deus, optima cōpar,
Pars deſyderij ſumma Geloni mei.
Deſereres matrem, natos, triſtemq; ſororem:
Amplius his uelles nec remanere locis.

Fauſta

Fauſta tibi (fateor) facta eſt mutatio rerum,
Terra tuis nec ſat moribus apta fuit.
Non natale ſolum, non incunabula nota
Virtutis norant facta decora tuæ.
Proinde Deus uoluit cælo te præpete biga
Efferri, ut fidei congrua dona feras.
Corpore adhuc uiuẽs, membriſq; onerata caducis,
Spirabas toto pectoris igne Deum.
Quem ſponſum tandem felici ſorte ſecuta,
Iugiter æthereo perfrueris thalamo.
Nos tamen interdum placidis nos reſpice ocellis,
Continuas abſens quos agis in lachrymas.
Et ſolare uirum flentem noctéſque diéſque,
Deleni notis ſaltem & imaginibus.
Manibus iſta pijs patet orbita, Proteſilaum
Sic olim aſpexit Laodamia ſuum.
Terribili non tu deſcendes pallida uultu,
Intrabis ſolitam nec grauis umbra domum.
Sed qualis ſummi patris ante ſedilia fulges,
Adſtabis niuea candidula in tunica.
Mœrorémque tuis uerbis ſolabere noſtrum,
Ni penitus tota mente tibi exciderim.
At cur exciderem, cum te plus ſemper amarim
Quàm natos, quàm qui me genuere, meos?
O mihi ſi liceat tantum ſperare, Geloni,
Mecum ut ames fari, huc more & adire tuo!

Ceruicem amplecti blandis effuſa lacertis,
Oſcula & in longam figere caſta moram!
Ah non ſum dignus poſthac te tangere Diuam,
Admiſſam ſancto Cælicolúmque choro.
Delicias amens mihi uota & inania fingo,
Atque ardore tui noſter ineptit amor.
Axe mane potius cotemplatura Tonantem,
Afflictæq; domus te meminiſſe iuuet.
Ceu ratis amiſſo quæ fluctuat orba magiſtro,
Quam ſibi & imploret turbida neſcit opem.
Tecum igitur poſthac non fabor amata Geloni,
Nec iam deinde tuo perfruar alloquio?
Me miſerum, qui tam dulci ſolamine priuer,
Nec conſueta mihi nomina uoce uocem.
Ora nec aſpiciam mœſtã hãc hilarantia frontẽ,
Quæque ſerenabant nubila corda uiri.
Sed cur inuideo tantis ſucceſſibus? aula
Cùm ſupera degas, ſuſpiciasq; Deum?
Hoc eſt nupta ſuis nimis intabeſcere damnis,
Vix frenare animi uota ſed ipſa queam.
Et rapiunt triſtes mentem in dementia curæ
Somnia, quid deceat non uidet æger amor.

AD GILLERMVM DVMANIUM *Dominæ à libell. ſupp.*

TEMPORE credebã minui mihi poſſe dolorẽ,
Coniugis ex obitu quo miſerè afficior:
Augeſcit tamen augeſcit noctúque diúque,
Diminui longa nec potis ipſe mora.
Hæret uiſceribus noſtris infixa Gelonis,
Triſti animo impreſſa fletur adempta nota.
Proin deſyderium hoc ſi qua potes arte leuare,
Fac, Gillerme, tuam ſentiat æger opem:
Aeger et afflictus tibi cognitus ungue Macrinus
De tenero, impenſe quem (niſi fallor) amas.
Scin quæ triſtitiæ iſtius ſolatia quæram?
Extincta quæ Thrax quæſyt Eurydice.
Carminibus dĩam cælo regnare Gelonin
Nam refero, uitæ quæ fuit integritas.
Quæq; fides ipſi in Chriſtũ Dominũq; Deumq;,
Per quem cultorum ſpes ſtabilita uiget.
Adde quòd affectu quo functã proſequor, illam
Ad cælum ſcriptis cogito ferre modis.
O mihi ſit Tulli facundia, uena Maronis,
Dum natam ille gemit, Cæſaris hicq; necem.

DE GELONIDE.

COELITIbus uiſum eſt ut cara uxore carerẽ,
Quæ mihi magnarum ſola erat inſtar opum.
Viginti atque duos cum qua egi ſuauiter annos,
Sunt totidem uiſi qui tamen eſſe dies.

Nunc quoniã exhauſtã diuturna tabe, ſepultãq́;
  In patrio texit trux Libitina ſolo:
Cur remeare uelim mœrens & flebilis illuc,
  Admonitu luctus & renouare meos?
Secedam in denſas ubi nulla frequentia ſyluas,
  Qua rara humano ſit uia trita pede.
Alnorum me teſqua Vadi, me Braïus amnis,
  Agreſtum teneant me latebræ Dryadum.
Solus agens illic, lucisq́; inglorius atris,
  Aſpergam uſque meos imbre fluente ſinus.
Atque ablata mihi plorabo Gelonidis ora,
  Mortis & implacidæ de feritate querar.
Vt mihi quæ iuuenem medio interceperit æuo
  Vxorem nona uitæ in Olympiade.
Talis Biſtonij rapidas ad Strymonis undas
  Conſortem uates fleuerat antè ſuam.
Conſortem, colubri ſæuo quæ ſaucia morſu
  Pallentes adijt lumine caſſa Deos.
Te non Lethææ retinent obliuia ripæ,
  Te neque fert cymba portitor ille ſenex.
Exutam at membris puro & candore nitentem
  Aetheris accepit regia clara animam.
Gaudeat ut felix omni immortaliter æuo,
  Atque æternarum dote beetur opum.
Addita matronis quæ ſuſpexere maritos,
  Fulſere & ſanctæ luce pudicitiæ.

Et rexere

Et rexere domum caſtam & communia tædæ
Pignora, curantes corpora & ingenia.
Talibus in rutilo cælo coniuncta Geloni,
Aeternum celebras tu ſine fine Deum.
Hæc mecũ meditans nemorũ nigrãtibus umbris,
Lætitiæ mixtis infremo triſtitijs.
Nec potis eſt noſtrum fiducia certa dolorem
Tollere, quin lachrymæ mœſta per ora cadant.
Felicem non te credam quin eſſe Geloni,
Stelligeri admiſſam concilióque poli.
Sed quod te caream, nec conſpicer amplius illa
Ora tot eximijs oblĩta delicijs.
Nec fruar alloquio, poteras quo uincere tigres
Indomitas, lapides rupe mouere ſua.
His deſiderijs hoc & confectus inani
Aeſtu, iniucundos triſtor abire dies.
Excutere & preſſo nequeo de pectore tantum
Mœrorem, aſsidue moliar ipſe licet.
Nimirum ille tui ſic uiſcera adactus ad ima
Vt nullo euelli tempore poſsit amor.
Non ſi uel Tityi, uel ſi inſatiata Promethei
Hoc iecur immiti uulnere tundat auis.
Longa uel epotem taciturnæ obliuia Lethes,
Vitæ obliuiſcar, dîa Geloni, tuæ.
Vmbrum teſtis ero dixiſſe haud uana poëtam,
Traijcit & fati littora fidus amor.

DE FVNERE GELONIDIS.

PASSERis extincti docto mors fleta Catullo,
Qui tibi plus oculis Leſbia carus erat.
Funus Acidaliæ celebrauit Stella columbæ,
Quæ Violantillæ coniugis eſſet amor.
Non mihi plorandus paſſer, mitis ue columba,
Pſittacus, aut dominæ fida catella comes.
Has etenim nugas mea nil mirata Gelonis,
Tranſibat nullos abſque labore dies.
Nunc operam tenui dabat indefeſſa Mineruæ,
Ancillas inter nebat & ipſa ſuas;
Altilibus ſeſe nunc exercebat alendis,
Nunc informandis ſedula pignoribus.
Artibus hiſce domus paulatim creuit et aucta eſt,
Et non ſpernendas accumulauit opes.
Solenni illa die Pæanas dicere Chriſto,
Quodq; pius Dauid compoſuiſſet opus:
Inter & eſſe ſacro, ſuggeſtu audire docentes,
Aut Domino pura fundere mente preces.
Non ceſſatricem lux ulla, & uidit inertem,
Quam pax in longa nunc requiete fouet.
Pax fouet, atq; utinã foueat ſuper aſtra receptã,
Adſcriptam æternis ordinibúsque Deûm.
Mors memorãda mihi hæc, nõ paſſeris atq; colũ-
Stellanti hæc cælo laude ferenda quies. (bæ,

Illuſtrat

I lluſtrat quam etiam celebris matrona potensq́;
  E dita propter aquas Sequana lente tuas.
Q uippe ait: extinctã Macrini haud crede Gelo-
  Semper uicturã nam polus altus habet. (nin,
I s Macrinus enim eſt qui cõiugis auſpice Muſa
  N omen, & æternet caſtam utriuſque facem.
E rgo pio ſtudio nunquam eſt moritura Gelonis,
  V iuet & illa polo, uiuet & illa ſolo.
V xori elogium hoc Morelli Antonia noſtræ
  Iure bono, inſigni iudicióque dedit.
P ermulti quoque idem teſtantur carmine uates,
  D efunctam mœſta qui cecinere lyra.
A uratus Lemŏuix quos & Bellaïus inter
  A ndegauus primas, candide lector, habent.
M ellinum ijs utinã Ronſartumq́; addere poſſem,
  A tq; elego celebrem pectine Borbonium.
T unc aberant, alijs & agebant urbibus omnes,
  N uptam obijſſe diem cum uaga fama tulit.
V iueret hoc ſi etiam Germanus Brixius æuo,
  S cribere qui tumulis carmina promptus erat:
S i Iouianus item quo uate Neapolis effert
  S e, licet hunc tellus uendicet Vmbra ſuum:
A mbo ſepulchrali decoraſſent marmora uerſu,
  I mpoſita quæ te mole Gelonĭ tegunt.
Q uippe merebaris matronæ danda pudicæ
  P ræmia, ut hoc hominum nomen in ore foret.

Non te Flaminius, non Actius ipſe taceret,
Non gemini Strozæ, Vida, Fracaſtorius.
N c qui immortales animos docet eſſe, reiſq;
Propoſita ob noxas Tartara ſpiritibus.
Nec Paulus Iouius magnorum uita pedeſtri,
Cui nunc Heroum ſcribitur hiſtoria.
Omnes ij notis facerent uirtutibus eſſes
Exemplar ſexus nobile fœminei.
Inſignem ueherent & laudibus Heroïnen,
Ac docto aſſererent carmine Semideam.
Qualis apud Graios Admeti eſt uxor, & auſa
Iphias in medios coniugis ire rogos.
Opperiens & quæ per bina decennia Vlyſſem
Manſerat in caſta Penelopæa domo.

AD IO. AVRATVM.

ERGO adeò inclemens & inexorabilis, ut non
Macrini precibus commoueare tui?
Vlla nec effundas lamenta Gelonidis umbris,
Dircæo nec eam carmine ad aſtra feras?
Hæccine amicitiæ ſunt argumenta fidelis,
Præconi háncque tuo fers ſtudioſus opem?
Iuſſiſſes ſi me fuſcos contendere ad Indos,
Taprobanem celeri ſi uel adire rate:
Si Tanaim Scythicum, latáſque Boriſtenis undas
Vel iuga Caucaſeï montis operta niue:

Illa

Illa Aurate tuo loca nomine ſponte petiſſem,
Si quod fortè aliud maius & eſſet iter.
Et lugubre negas dulci de coniuge carmen,
Quam uati rapuit mors uiolenta ſeni?
Haud ita fecerunt Bellaius atque Beraldus,
Poſcenti numeros promptus uterque dedit.
Laudibus & cælo uexere Gelonida miris,
Ac ſtellam ſtellis inſeruere nouam.
Neſcis quod facinus facias, ſæuiſſime, neſcis,
Oceani quod non lauerit unda uagi.
Vltum hanc duritiam quid ſi uelit ire Gelonis,
Indigetes inter iam Dea facta potens?
Auferre an potuit Siculo olim lumina uati
Tyndaris, inferior noſtra Gelonis erit?
An Phœbi incinctæq; parens Latona Dianæ
Vincet eam quæ bis pignora ſena tulit?
Plus poterit turpis matrona mœcha pudica
Inachis, ad Nili flumina facta Dea?
In ceruum Dictinna irato Acteona uultu
Verterit, ut canibus præda cruenta foret,
Impos erit claro iam admiſſa Gelonis Olympo,
Addita felici Cæligenûmq; choro?
Diſpice quid Superi nobis plerumq; minentur,
Ni culti ſint qua relligione decet.
Non, Aurate, colas illã uolo ſtultus & amens,
Matronam meritam ſed uolo laude uehas.

S yncerîs memores & moribus eſſe receptam
H uc, ubi ſunt caſtæ præmia cuique ſua.
D a te oro facilem, collegæ cede, repoſcas
T ale ut me officium nec Deus eſſe ſinat.

AD SVSANNAM FILIAM.

PALLENTIS uiolæ hæc ſi pagina tecta colore eſt,
L uctibus ah noſtris conuenit ille color!
Q uãdoquidẽ hic annus rapuit, Suſanna, Gelonin,
Q uæ tibi cara parens, cara mihi uxor erat.
N on ſumus at Reges, quos uelet hyanthina ueſtis
T urbarit noſtram cum Libitina domum.
C onfiteor, ſed iam Diuorum admiſſa beatis
R eginam ordinibus dia Gelonis agit.
S ignari hanc fuſco ſortem quid oportet amictu,
Q uæ niueo potius notificanda foret?
N os Regum morem tamen hac in parte ſecuti,
M nemoſynon luctus mittimus ecce tibi.
S i quadret color hic fidis quoque amantibus, atra
P oſt fata uxorem nempe ſuperſtes amo.

AD GELONIAM Druſillam neptem.

NEPTIS cara meæ Druſilla Gelonidis, atqui
D efunctæ uita quàm prius orta fores:
S i te auia ante ſuam potuiſſet cernere mortem,
H ac illi facie gaudia quanta dares!

Quippe

Quippe uterum cum iam Suſannam ferre uideret,
Implebant tacitæ pectora lætitiæ.
Quanquam ægrotaret, tamen ipſi cernere natæ
Spes prægnantis erat poſſe puerperium:
Poſſe fouere ſinu ſeu neptem ſiue nepotem,
Ante ſepulturæ fata inopina ſuæ.
Id uetuere Dei, & nigris merſere tenebris
Tam celeri indignã claudere fine dies.
Manibus hæc eius ſaltem ſolatia ſunto,
Quòd uocitata auiæ nomine neptis erit.
Meq; indente ſacro dicêre Gelonia fonte,
Tali ut mnemoſyne duret auita nota.
Antè tui fuerat ſimili matertera patris
Nomine, quam propter gratius eſſe poteſt.
Maiorum eſt ſiquidem proprium ac gẽtile tuorũ,
In generis necnon tritum utriuſque domo.

AD GELONIDEM.

COTTARVS & Druſus cũ tu morerere Ge-
Conſolatores atque Brialdus erant. (loni,
Prætercam ut myſten qui ſedulus adſtitit uſque,
In ſancta conſtans quô morerere fide.
Lingua hæc deficiens pallenti protulit ore,
Chriſte Dei fili tu miſerere mei.
Hanc animam diuina Trias iam ſuſcipe quæſo,
In commendo tuas quam moritura manus.

His

His uitam dictis exhalus fine quieto,
 Ferreus inuadit frigida membra ſopor.
O felix anima, & cælum intratura coruſcum,
 Contemplere iſtic ut ſine fine Deum.
Eius & aſpectu ter fauſta fruare quaterq;,
 Cum Genijs uiuas perpes & ætherijs.

DE MORTE EIVSDEM.

QVAM prius ad metã uitæ mea nupta ueniret,
 Atque emiſſam animam redderet ore pio:
Eſt confeſſa ſuas contrito pectore culpas,
 Se peccatricem dixit & eſſe ream.
Sumere non potuit Chriſti uenerabile corpus,
 (Tuſsi pulmones uſque agitante cauos.
Os cum proijceret roſeo lita ſputa cruore
 Semper, anhelandi nec foret ulla quies.)
Quanuis id cuperet, ſeq; affirmaret inermem,
 Armis contra hoſtes his niſi tecta foret.
Aſt extrema data eſt frigẽtibus unctio membris,
 Fuſæ & presbyteri uoce fuere preces.
Iurem illos liquidò, tali qui fine quierunt
 In ſtellis picto iugiter eſſe polo.

EX GRAECO IAC. GOVPYLI medici.

QVID tandẽ fruſtra conaris, & omnia Clotho
 In genus humanum pernicioſa paras?

Matronam

Matronam infirmã en tenebras demittis in atras,
In lucem at profert pagina rurſus eam.

AD GELONIDEM.

POST nos te decuit uitam hîc uixiſſe Geloni,
Fatalem nec adhuc mortis obire uicem:
Cum numeraretur uix quadrageſimus annus
Geſtandiſq; utero fœtibus apta fores.
At mihi cui teritur iam ſexageſima meſſis,
Languida qui ſenij pondere membra traho:
Immatura nihil potuit mors eſſe uideri,
Præſertim natis te ſuperante tuis.
Viſum aliter Superis, in quorum numine uita eſt,
Quiq; ſuo nutu tempora noſtra regunt:
Florentem medij nam te de curſibus æui
Abripiunt, atque in cæli habitacla uocant.
Illa quies animis tibi ſit quæ æterna parata eſt
Terreni exutis corporis induuijs.
O ſalue atque uale mulier dilecta marito,
Delicijs felix & fruere ætherijs.

DE EADEM.

HEV mœrore graui curis & edacibus angunt
Me miſerum, & uigilem nocte dieq; premunt,
Penè euerſa domus, deſolatiq; penates
Coniugis interitu flebiliore meæ.

Nam ſeu puniceus terras irrorat Eous,
Solq́; recens roſeis lumina uibrat equis:
Illuſtrat ſurgens ſeu ſera crepuſcula ueſper,
Et uehitur biga luna micans niuea:
Cor ſtupet attonitum mœſto mihi, funere raptam
Voce uoco, ſociam ac uſque requiro tori.
Maceror & deſyderio confectus inani,
Et licet amiſſam morte Gelonin amo.

AD IO. BELLAIVM CARD. *Ampliſſ.*

OPPORTVNA tui reditus ſolatia, quando
Noſtra premit nimius pectora Iane dolor.
Tam dilecta mihi quòd ſit defuncta Gelonis,
Ah fultura meæ quæ fuit una domus!
Vna domus fultura meæ, quid demoror ultra
Fata, quid extinctà compare uiuere amo?
Ipſa tui niſi me reditus ſpes certa foueret,
Extinctæ cuperem coniugis eſſe comes.
Vitales facis ut ducam minus anxius auras,
Coniuge nec rapta non ſupereſſe uelim.
Tantum Iane ueni, ſoſpesq́; reuertere amicis,
Mœſtitiæ cedet portio magna meæ.

EPITAPHIVM GELONIDIS *Borſalæ.*

HIC iacet immiti fato conſumpta Gelonis,
Delubri ſacro conditur inq́; ſolo.

AEquales

Aequales inter matronas nota ſagaci
Ingenio, cultis moribus, ore, fide.
Et miraris adhuc tranſis quicunque uiator
Sublatam eſſe ſui carmine ad aſtra uiri?
Hauſiſſem cineres præſens ſi fortè fuiſſem,
Cum data ſunt rapidis ipſius oſſa rogis.
Atque eſſet puditum uinci me à Caribus, illic
Fertur enim cineres nupta bibiſſe uiri.
Et miro ſumptu memorabile Mauſolæum
Indicium fidei compoſuiſſe ſuæ.

AD GILLERMVM lateranum.

FAMA eſt Borbonium noto ſcripſiſſe ſodali
Clauſiſſe extremum me, Laterane, diem.
Nullum at morte mea qui lætaretur, & eſſe
Permultos noſtram qui doluere uicem.
Gratia ſit Chriſto quòd adhuc hoc tempore uiuã,
Quodq; hominum lætus funere nemo meo eſt.

AD EVNDEM.

VIX hæc finieram, rapuit mors dura Gelonin,
Macrinus potuit uerius án ne mori?
Ergo Borbonius ſagus fuit, eſtq; locutus
Quæ Dodonæo certa lebete magis.
Mortuus in functa nanque eſt uxore Macrinus,
Vita ea quam uiuit mortis & inſtar habet.

AD GELONIDEM.

V ir tuus optabat pro te Macrinus humari,
M armoris inſcripti mole premente tegi.
I d rationis erat, ſed fato urgente Geloni
I n medio uitæ deficis ipſa tuæ.
B iſſenam tamen ante obitus enixa propagem,
E ſſet legitimi teſtis ut inde tori.
R epræſentaret natiua & imagine matrem,
L eniret curas parsq́; relicta meas.
S ex quia ſtellanti tecum lætantur Olympo,
S olatur mœſtum cætera turba patrem.
N atorum ſed enim non ſunt ſolatia tanti,
V t deſyderio liberer ipſe tui.

AD IO. CARD. BELLAIVM.

M ACRINVM amiſſa Mecœnas cõiuge triſtẽ,
V itæ & ſpernentem munera penè ſuæ,
A duentus ſaltem reficit tuus, inſolitasq́;
E xcitat in mœſto pectore lætitias.
A uguſto augurio accede huc uenerabilis Heros,
O ris diſcutiens nubila luce tui.
I am matura Ceres intexit ſpicea ſerta,
P onit graniferas & tibi ſponte comas.
I am ſeſe uariat palmes liuentibus uuis,
L enæusq́; ſuas colle colorat opes.

Ob

O b reditum tanti quid nos feciſſe patroni
A ddeceat, uincent non animata uiros?
Q uàm tua ſit patriæ felix præſentia apertis
V t natura poteſt arguit indicijs.

AD GELONIDEM.

EX animo & uere mihi ſemper amata Geloni,
E x quo nos feſtus conciliauit Hymen:
E s moriens aliqua morientem ex parte ſecuta
C hriſtum, extrema tibi potio quando data eſt.
R eſpuis, eſſe opus hinc potu non amplius ullo
S ignificans, ſolùm quæris anhela Deum.
E t medicum, adſtanteſq; rogas ut copia fiat
M ente recordandi ſummum animoq; patrem.
C onſenſu unanimi præſentes utq; precentur
D elictis illum propitium eſſe tuis,
H æc tibi linquendæ ſunt uerba nouiſſima uitæ,
E xhalas dum animam collabefacta piam.
O utinam ſuprema mihi cum uenerit hora,
T am ſancto liceat claudere fine diem.

EX GRAECO FRANCISCI Beraldi, de eadem.

NON tantum Eurydicen defleuit Thracius Orpheus
C onſortem ſocij legitimam thalami:
C um mulſit manes, & inexorabile fatum,
I nſolitum ipſa umbris quò remearet iter:

E reptam quantum nimis heu citò, dia Geloni,
T e lamentatur uir pius ille tuus.
I am uerò ad ſuperos, ſi Thrax reuocatus ab Orco
M acrini luctus cerneret aſsiduos:
C oniugis Hercle ſuæ oblitus, proprijq; doloris,
I pſe gemat fatum triſte Geloni tuum.

AD CARD. BELLAIVM.

HAESERIT ipſa licet mētiq; & ſenſibus imis
L audati conſors grata placenſq; tori:
L ongæ & materiem dederit defuncta querelæ,
P arcarumq; auida ſic mihi rapta manu:
A duentu iſta tuo tamen infortunia lenis,
T riſtitiæ multum demis & ipſe meæ.
T e præſente queam nullos horreſcere caſus,
P ro nihilo cæcæ ducere uimq; Deæ.
M agna ego promitto, & quæ ſit præſtare laboris,
R obore penè animi deficiente mei.
F ortunæ non eſt modò uis hæc aſpera, maior
M aior, Iane, Deus uulnera tanta facit.
P ro delictorum & plectit me mole meorum,
V ecta aſtris qua non coniuge dignus eram.

AD GELONIDEM.

TV mihi dicebas coniux mellita Geloni,
C um ſocia mecum lege ſuperſtes eras:

Mi uir, tempus erit me abſentem quādo requires,
Anxius interitum flebis & uſque meum.
Quippe quis inſtituet dulces communia natos
Pignora, & exiguam ſedulitate domum?
Immoreris ſtudijs, Muſisq; aſſuetus amœnis
Priuatæ uixti neſcius antè rei.
Hæc mihi promebas præſaga oracula uoce,
Quæ nunc ſerò nimis uera fuiſſe queror.
Ah queror, & memini, nequicquā teq; requiro,
Diripiunt celeres irrita uota noti.
Viuito at æternum felix, dilecta Geloni,
Addita Cælicolis & memor eſto mei.
Eſto mei in Superis memor ô cariſſima coniux,
Quippe tui donec uixero ſemper ero.

AD GELONIDEM.

VNA poëtarum tibi ſe conferre, Geloni,
Ex ijs antè illi quas cecinere, poteſt.
Quænam ea? Pontani coniux Ariadna, uenuſtis
Carminibus docti cognita facta uiri.
Priuatæ cuſtos ſtudioſa reiq; domusq;,
Legitimis necnon clara puerperijs.
Sordeſcunt omnes aliæ, quia defuit illud
Quo cōmendatur Dijs quoq; ſanctus Hymen.
Sāctus Hymē, quōdāq; tibi Rex Chriſte probatus,
Poſſe tori dum omnes cælebis eſſe negas:

A ſummo niſi fortè datum ſit numine, cuius
Candida uirginitas continuetur ope.
L audibus his igitur linguaq; animoq; fauete,
D ignatus ſacra quos face caſtus amor.
C ætera ſecedant à noſtris turba libellis,
N aſonis libros proſtibulusq; legant.

AD EANDEM.

NESCIO quã ſi Flaminius cantauit Hyellam,
Q uæ paſtrix ouium, quæ caprimulga fuit:
G audia quæ Veneris dedit impermiſſa poëtæ,
N ec ceſto atque ſtola cincta Hymenæe tua:
Q uid ni te numeris celebrem dilecta Geloni,
E t reſona tollam ſydera ad alta lyra?
V t uentura tuas uirtutes noſcitet ætas,
M atronasq; inter uix te habuiſſe parem:
A ntiquis dignam quam Pieris Heroinis
M acrini æquaret triſtis & orba tui.
A greſti te etenim tanto præponit Hyellæ,
I pſe Italo quanto eſt Flaminio inferior.

AD CARLOTTAM ANALdeam Gelonidis matrem.

LONGA ætas Hecubæ dedit ut, Carlotta, uideret
O rba uiro & natis multa dolenda ſibi.
I lion incenſam Graio uictore, peremptum
C rudeli Hectoriden Aſtyanacta nece.

Tu

T u frigente uides etiam iam fracta ſenecta
A lterius natæ fata gemenda tuæ.
S ex antè extuleras gemino cum coniuge, ſexus
F œminei ex queis tres, tresq́; fuere mares.
I am tot uulneribus funeſtis ſaucia mater
I n lachrymis noctem triſtis agisq́; diem.
V xoremq́; meam luges mœrore recenti
E x tibi quæ natis una duabus erat.
C ontentæ ſint hac Parcæ Carlotta rapina,
A tque tuis longum te ſupereſſe uelint:
V t quo more ſoles neptes moderere nepotesq́;
E t fato quàm Hecube proſperiore regas.

AD IO. BRIALDVM IVRID. Iuliodunen.

PRAESTO aderas mea cũ deceſſit amabilis u-
S olatorem ægræ teq́; Brialde dabas. (xor
E xpiraturæ conſtantia quanta fuiſſet
V idiſti, quæ ſpes de Dominoq́; foret.
S is mihi ut abſenti Proculus uel Iulius ille
R omuleam in cælum qui uidet ire animam.
I d credat quod quiſque uolet, mea opinio certa eſt
V xorem æthereo uiuere in axe meam.

AD IO. AVRATVM.

IN caſtá ne poteſt uxorius eſſe colenda
C oniuge uir quiſquam? dic age Iane precor.

Nec mirere meã quòd laudo à funere nuptam,
  Laus minus inuidiæ poſt quia funus habet.
Complexus uiuam uehementi ſum igne Gelonin,
  Compoſitam tumulo curat amare nefas?
Illam præcipuè cælo quam credo receptam?
  Tam ſancti mores & pudor eius erant.
In Chriſtũ tam firma fides Dominũq; Deumq;:
  Dicere de Eurydice Thrax queat iſta ſua?
Mirari tacitis proin me intabeſcere curis
  Deſine, & in iugi uiuere mœſtitia.
Qualis uita poteſt mea dici Aurate, uoluptas
  Cui lachrymæ, planctus, continuusq; dolor?

AD DEVM PRECES PRO SE & Gelonide.

SI, Deus alme, uelim numero cõprehendere certo
  In te commiſi quæ malefacta nocens:
Id faciam quod qui Libycas metitur arenas,
  Et quot aquæ guttas cærula Doris habet.
Præteriịt quæ lux educto matris ab aluo,
  Me uixiſſe ulla qua ſine labe probem?
Non tamen æternam idcirco deſpero ſalutem,
  Pœniteat uitæ me modò rite meæ.
Firmiter & credam ſacrum fudiſſe cruorem
  Te cruce, proq; hominum gente ſubiſſe necem.
An non eſt operum clementia prima tuorum,
  Abſque omnis mundus qua periturus erat?

Chriſte

Chriſte ignoſce mihi, ueniam da Chriſte petenti,
Defunctæq; animam coniugis axe loca.

PRO EADEM PRECES ad Chriſtum.

INCLINARE tuã ne differ amicior aurem
Ad tibi quas fundo maxime Chriſte preces.
Hîc tua ſuppliciter petitur clementia, prorſum
Clauſa repoſcenti nulli hominum illa quidem.
Des animæ ueniam famulæ, quam ſcilicet ex hoc
Iuſsiſti ſeclo præpete abire fuga.
Lucis eam ac pacis ſtatuas regione precamur,
Cælicolûm in cœtu ſemper & eſſe iube.

AD PATRIAM IVLIODVNVM.

CARA mihi tellus, penitisq; inſerta medullis
Soſpes & incolumis quando Gelonis erat:
At poſtquam mortis lethaliter icta ſagitta eſt,
Non tellus dulcis iam, neque cara mihi:
Natales, fateor, cunabulaq; ipſa dediſti,
Reptauiq; tuo paruulus in gremio,
Quanuis ingratus, quanuis ferar impius in te,
Illa nil tangor commoueór ue nota.
Affectus ſecum mea noſtros abſtulit omnes
In patrio coniux nuper humata ſolo.
Vt pigeat poſthac & abire ad Cæſaris urbem,
Hactenus & ſolitos incoluiſſe lares.

DE GELONIDE.

Ante annum Catharina obijt Sultania, matres
Næ præſtans inter Iulioduniadas
Laude pudicitiæ, numeroſis partubus, ore,
Relligione: obijt ſed tamen illa ſenex.
Funere ab eiuſdem poſt annum noſtra Gelonis
Interijt, præſtans moribus, ore, fide:
Mater egenorum, nulli pietate ſecunda,
Flore ſed ætatis funere merſa iacet.
Cur matronarum mors non æquabilis harum?
Cur precor iſta parum uixit, & illa diu?
Obſcurum nobis, nec fas eſt quærere, recta
Sunt quoniam ſummi Iudicis arbitria.

DE TVLLIA CICERONIS & Gelonide.

CONCESSAM ſimul ut finiuit Tullia uitam,
Conditus & Syrio eſt eius odore cinis:
Diuinis genitor uult affici honoribus illam,
In numerum & referat ſi queat ipſe Deûm.
Quod potis eſt, ſcriptis defunctã illuſtribus ornat,
Eloquioque ſuo ſiſtit in ore uirûm.
Per ſanctæ ritum Triados, per dogma piorum
Si liceat, coniux, te coluiſſe uelim.
Dem tibi puluinar, templũ cum flamine, & arã,
Atque ſtato faciam ſacra Gelonĩ die.
Fas uetat, ergo uiri ſtudio contenta fideli
Sis, tibi qui præco, qui prece flamen erit.

DE GELONIDE.

BERTElōtæ memini te in funere fleſſe Geloni,
Iam grandæua licet mortua Bertelōta eſt.
Hæ lachrymæ inſtantis tibi erant præſagia fati,
Poſt menſem quoniam funere ab eius obis.
Natorum natos uidit prius illa ſuorum,
Tertia quin potuit pignora conſpicere.
Suſannam præter grauidam tua cætera proles
Imbecillis adhuc matris egebat ope.
Iudicium æterni eſt imperſcrutabile Regis,
Ipſa hominum in cuius uitáque mórsq; manu.

PRECES PRO GELONIDE.

PRO pietate tua, Princeps diuine, precamur,
Des animæ ut famulæ cæli habitacla tuæ.
Vtque à corporeis exutam labibus illam
Lætitiæ æternæ conditione bees.

AD GELONIDEM.

MVLTO à Luceio Cicero ſermone petebat,
Eius ut excultis eſſet in hiſtorijs.
Gaudia quando ſitis tantum diuina, Geloni,
Famam & pūcta hominum uix facis ipſa pili.
Nec lepidis uatum clarari uerſibus optas,
Contenta æterni Iudicis arbitrijs.
Eſt utcunque meum tamen acceptura laborem
Mens tua, te meritis laudibus uſque feram.

DE DIE QVO GELONIS OBIIT.

MILLE & quingentis annis ſi dena iuuabit
  Addere luſtra, diem noſtra Gelonis obit.
Luce etenim quarta decima illo Iunius anno
  Se nigra uoluit nobilitare nota.
Saturni fueratq́; dies quem uoce quietis
  Hebræi ueteres, omen id eſto, uocant.
Tēpore ſit requies nuptæ hinc duplicanda futuro,
  Summus ubi Iudex uenerit ille polo.

AD REMIGIVM RVFVM CANONICVM TVRON.

MIRARIS quid agā tanto iam tēpore, Ruſe,
  Pariſijs, aneam nec remeare domum: (hac
Angeret ægrū animi cū me hîc mora lōgior antè-
  Nec mihi Metropolis grata, nec aula foret:
Næ priùs illa domum reuocabat amata Gelonis
  Nolentem à ſolito ſecubuiſſe toro.
Coniuge at amiſſa quid ad incunabula nota
  Quid iuuet ad patrios amplius ire lares?
Omnia muta ſilent, pariésque ac tecta uidentur
  Mœrere, & dominæ funera flere ſuæ.
Qui pennis illuc uolitabam adiutus Amoris
  Iam teſtudineo mi placet ire gradu.

AD GELONIDEM.

MAVSOli coniux cineres bibit, atq; ſepulchra
  Fecit ei artificum ſculpta ſciente manu.
Nō Mithridati uxor magno tulit eſſe ſuperſtes,
  Ceruici innexo ſed periijt laqueo.
Quæ per cara uiro coniux ſimul uritur Indis,
  Vxorum in tenebris cætera turba latet.
Tullius in natam nimium pius, æthera donet
  Si poßit, referat in numerúmque Deûm.
Affectum affectus hi ſi conflentur in unum,
  Aequare affectus uix queat ille meos,
Te quibus amplector thalami ô dulciſsima cōſors
  Extinctam, heu Lacheſi præcipitante colos.
Quippe mori uellem, ſi me ſupereſſet humato
  Qui noſtra amborum pignora curet, alat.
Claráque uirtutum celebret monumenta tuarū,
  Præco memor laudes quásque merêre canat.

AD EANDEM.

Has te aſpernari lachrymas, nec adeſſe Geloni
  Macra focillaret cùm mihi membra ſopor,
Iam deſiſto queri compar ſuauiſsima, grates
  Quódque apparueris tempore noctis ago.
O mihi iucundus ſopor! ô nox candida! busq;
  Somnia colloquijs facta beata tuis!
Viſere mæſtum animi tu ne es dignata maritū?
  Solariq; ægrum molliter ore pio?

Tú ne reliquiſti gemmata palatia cæli,
Vt notam illabens ingrederere domum?
Sæpius id facias precor, & tabentia curis
Aſpectu releues pectora, & ore tuo.

AD EANDEM.

ABREPTA cuſtode domus rerumq́; mearũ,
Si ſcio diſpeream quid lachrymoſus agam.
Vt turbantur oues rapto paſtore, lupisq́;
Ieiunis fiunt obuia præda greges:
Sic ſex, ô coniux, communia pectora nati
Sparſi diuerſis intremuere locis.
Pars Sammarcollam tenet, at pars Iuliodunum,
Cælitis ad Launi pars quoque mœſta ſedet:
Et tu Pariſia Charilaë moraris in urbe,
Quô doctrina animum linguæ utriuſq; colas.
Nos miſero huc illuc caſſoq́; labore uagamur,
Vt rectore ſuo fluctuat orba ratis:
Orba ratis, cuius clauum tenet inſcius artis
Nauta, nec æquoreas findere gnarus aquas.

DE GELONIDE.

OBTVLIT ecce mihi bis eâdẽ nocte uidẽdam
Se, notisq́; uxor fulſit imaginibus.
O quæ colloquia, & quas protulit enthea uoces!
Naturam uiſa eſt ut ſapere æthereã!

Non

Non hominem ſonuit uox illius, aut Dea certe
Aut Genijs ſuperis aſſimilanda fuit.
Cùm bene uixerunt, poſt fata nouiſſima confert
Hæc famulis Chriſtus præmia digna ſuis.

AD ANT. HEROICVM
Sacræ Cellæ Cœnobiarcham.

EST tibi Meonij grauitas Heroïce uatis,
Claudere cum numeris ſcita Platonis aues.
At teneros idem ſi ſcribere ſumis amores,
Cedunt Battiades atque Phileta tibi.
Vt genere excellas perquàm concinnus utroque,
Scriptorum paucis quod liquet eſſe datum:
Nuper cara mihi eſt coniux extincta Gelonis,
Antè maritali cognita facta lyra.
Eius age interitum, ne pigra obliuia condant,
His illiſúe refer docte poëta modis.
Moribus ut factis grauitas tua quadrat ad unguẽ,
Sic leuiore ſtylo eſt commemorandus amor.
Caſtus amor, ſolo thalamiq; exercitus uſu,
Cætera nam uirgo noſtra Gelonis erat.
Si Macrinum at amas, ut amas Heroice, naua
Quæſo operã, illa frequens ut ſit in ore uirûm.

DE GELONIDE.

CANDIDIOR niuibus Titane micãtior ipſo
In ſomnis nuper uiſa Geloñ mihi es.

Pollice mananteis lachrymáſq; abſtergere molli,
Atque animo poſthac eſſe iubere bono.
Admiſſam referens alto te uiuere Olympo,
Cùm magnis agere ac ocia Cælicolis.
Hæc triſtes adeo minuêre inſomnia curas,
Vt grata huc uenias ſæpius umbra precer.
Et dulces natos uiduo cum patre reuiſas,
Cui ſine te ualeant gaudia nulla dari.

DE EADEM.

QVOD tibi in exilio, Sertori, candida ceruа,
Sacrificóque Numæ quod fuit Aegeria:
Hoc mihi per crebras noctes ſolet eſſe Gelonis,
Conſilio ancipitem ſueta monere uirum.
Eius ſortilegis mage certa oracula Delphis,
Reſponſo & Libyci ſunt grauiora Iouis.
Fatiloqua illa mihi eſt ſago ſermone Sibylla,
Admonitu cuius rémque domúmque rego.
Antè mihi ô coniux non impermiſſa uoluptas
Et dulce auxilium, nunc mihi conſilium.

AD EANDEM.

CVM te dico Deam, ne quis fallatur in illo
Quod ferri uera relligione nequit:
Non tibi templa uelim fieri, puluinar, & aram,
Sperandám ue abs te, nupta, ſalutis opem.

Vnus

V nus enim potis eſt illam dare Chriſtus Ieſus,
R egnum ſupremus cui Pater omne dedit.
A etherea ſed te deſigno luce fruentem,
I n cælo ſimilem ſpiritibusq; ſacris.
P articipémque eius Domini quem uiua colebas,
E t ſeruatorem quem pia credideras.
H oc eſt eſſe Deam, regnare perenniter hoc eſt,
C oniunctam æterno iugiter eſſe Deo.

AD EANDEM.

ALMA Geloni fides, acta & ſine labe iuuentá
(V t fieres quando haud fata dedere ſenex)
I n ſedes uectam faciunt ut te eſſe beatas
C redam & cum ſanctis uiuere Cœlitibus.
H oc eſt Semideam cur te uoco ſæpe, Deamq;,
A dſcriptam ſuperis Indigetémque choris.
N am ſimiles Chriſtus Genijs cæleſtibus inquit
I n rutilum admiſſos poſt ſua fata polum.
E xcelſi ſoboles Dijq; eſtis concinit omnes
R ex Solymus Goliæ perditor ille trucis.
Q uid Petrus & Paulus fidei duo ſydera noſtræ?
Nos regale aiunt ſcilicet eſſe genus.
S anctam, & diuino quæſitam ſanguine gentem,
H oc titulo, hoc ornant nomine Chriſtiadas.
E t dubitamus adhuc Domini alma capeſſere iuſ-
I nnocuo uitæ calle ſuperna ſequi? (ſa?

AD EANDEM.

DIVAM ubi te uocito ſic dictũ interp̃tor illud,
Non natam ut uoluit Tullius eſſe ſuám:
Qui loco emi celebri ſpatioſum iuſſerat agrum,
Natæ in quo ſedes ædificanda foret,
Aram conſtrueret, ſacra lectiſternia: myſtamq;
Adderet, ut ferret laudibus exanimam.
Anne & adoraret quã extinctã morte ſciebat,
Pro ſpreto coleret marmoreámque Ioue?
Hoc Diuam eſſe mihi dico, quod in axe locatam,
Conſortem Chriſti, participémque Dei.
Id niſi contigerit tibi iam, dilecta Geloni,
Vt citò contingat, Numen adoro, tibi.

FINIS TERTII NAENIARVM LIBRI.

DIVERSORVM AVTHORVM
Poëmata, Latina, Græca, Gallica, de Gelonide.

AD SALM. IO. AVRATVS.

CARMEN in amiſſā lecti miſerabile partē
Carmine me poſcis docte Macrine tuo.
Non moror officium, ſed dum ſolantia quæro
Verba, nec inuenio luctibus apta ſatis,
Præcipue crudis, & adhuc fugientibus omne
Fomentum, medicæ blanditiáſque manus,
Abſtinui, fateor, non tempeſtiua mouere
Vulnera, dum fierent tactibus æqua meis.
Nunc quoque plaga foret tua uix tractabilis ulli,
Nec quæ poſſet adhuc ferre medentis opem:
Si non dum metuis caræ monimenta taceri
Coniugis, oblitus tu tua damna fores.
Nunc igitur quoniam uates uxorie funus
Vxoris tacitum non ſinis ire tuæ:
Iam uenio, iam quicquid erit (ſed erit breue, uoto
Deteriúſque meo) carminis, omne fero.
Si non Ogygio ſatis eſt quod baccher hiatu,
Ceïus in lachrymas ſollicitandus erit.

ADRIANVS DRVSVS
Salmonij gener, ad lectorem.

NE lædaris, in hoc ſi, lector candide, libro
Nil niſi funeſtum luctificúmque uides.

Hic ploratur enim ſpectabilis illa Gelonis,
In medio uitæ funere rapta ſuæ.
Macrini uatis coniux lectiſſima, necnon
Gloria fœmineæ rara pudicitiæ.
Quam uir ita ardebat Sipylææ matris ut inſtar
Demirer quin ſit factus & ipſe lapis.
Sic hodie ardet adhuc, lachrymarũ ut fōte perēni
Ni madeat, poſſit protinus eſſe cinis.

P. PISTORIVS TRECENSIS
Ad Macrinum.

ARGVMEnta tui ſunt hæc manifeſta doloris,
In nuptam uerus queis patefactus amor.
Nam ſimul immiti uulgatũ hanc funere merſam,
In gremio patrij compoſitámque ſoli:
(Tunc aberas, domina rerum ſecurus in aula,
Nil ratus extremum coniugi adeſſe diem.)
Optas ipſe mori lachrymis reſperſus obortis,
Viuendi & finem ne tibi Parca neget.
Miſceat útque tuos cineres cineri illius, oſſa
Oſſibus, uno eodem contegat & tumulo.
Quin propria uitam redimas uxoris: ut aiunt
Alceſtim cari fata ſubiſſe uiri.
Syncera affectum generant connubia talem,
Vna in carne duos & liquidò eſſe probant.
Vna in carne duos? unæ dicere mente uolebam,
Occaſu alterius qua cadit alter item.

IO. FERRERII SVBALPINI.

VRBIBVS à medijs, olim quas legibus auxit,
Obſcœnos diuus Plato iuſsit abeſſe poëtas,
Qui mores uitiant patrios, & publica iura.
Non iuſſurus idem noſtro ſi tempore plectra
Salmonij exciperet nulla non laude uehenda.
Qui cultus doctúsq; ſimul, uir factus ad unguem
Inſtaurat Muſas ueteres pietate diſerta.
Sordibus elutus, numeros canit ore pudico:
Quos tibi ſublatæ feſtina morte, Geloni,
Qua cum tot lætos uixit concorditer annos,
Coſecrat (heu) mœſtus cõiux, monimēta decôris
Quæ tibi, pignoribúsque tuis ſine fine locauit.

MATTHAEI MERcantij Regi à Secretis.

DESINE iam Manes urgere Gelonidis, & te
Macrine innumeris excruciare modis.
Nam licet his homines poſsis, & ſaxa, feráſque,
Non potis es Manes ducere carminibus.
Threicius ſemel ut uates reſpexit, ab illo
Tempore nulla illinc iam redit Eurydice.

DANIELIS AVGENTII, in obitum Gelonidos.

ALTERA materna iacet hîc Cornelia cura,
Altera coniugij Portia facta fide.

Altera Calliope, Charis altera, cara Gelonis,
Macrini requies deliciæque ſui.
Cùm ſtygio Diti uiſa eſſet gratior Orphei
Eurydice, lyricis ut magis apta modis:
Scilicet erepta eſt quò dulce per ima ſonaret,
Dum ſupero hanc Latijs uir canit axe modis:
Quàm bene Dij ſuperi fato uigilaſtis in iſto!
Hæc canit ad Manes, uir canit ad Superos:
Threicio melius modulatus uate, Gelonin
Ad Superos, ut non ſit peritura, uehit.

AD SALMONIVM MAcrinum Vincentius Giglanus.

CREDIdimus te olim uatū Macrine parētem
Phœbum eſſe, Aonidum credidimusq; patrem.
At quoniam gratæ tibi mors ingrata Gelonis
Tam largo undantes irrigat imbre genas,
Neſcio quid minus es, nam non audiuimus ipſos
Vnquam cæleſtes illachrymaſſe Deos.

EPITAPHIA IN GELONIN.

ET Macrine tuum poſt fata Gelonis amorem
Sentit, & indicium mortua ſæpe dedit.
Nā tacito audita eſt hæc murmure uerba ſonare,
Valde amat ille, pijs qui colit oſſa modis.

ALIVD.

ALIVD.

NOSSE cupis qualis fuerim matrona, uiator?
De me audi uatem mira referre meum.
Nam quanuis mihi ſit coniux idemq́; poëta,
Mos tamen eſt illi uera canendo loqui.

ALIVD.

QVæritis unde mihi tam ingẽs ſim nomẽ adepta?
Coniugis id faciunt carmina ſacra mei.
Diſcite uos caſtæ uates adamare puellæ,
Et ueſtrum feriet nomen utrumq; polum.

ALIVD.

O DEMENS ullo qui me putat eſſe ſepulchro
Extinctam, Elyſias aut habitare domos.
Et dulces habui dulciſſima pignora natos,
Iurgiáque in noſtro nulla fuere toro.
Et tibi me totam coniux dulciſſime rerum
Sacraui, atque mei debita iura dedi.
Hinc ego (tantus amor) maneo fidiſſima tecum,
Et quâ carpis iter, te comes uſque ſequor.

PER DIALOGVM. ALIVD.

O SI uir mecum comes iret ad infera, fallor,
Vt uiuat cupio: fallor, utrunque uelim.
Parce metu, & tecũ comes ibit ad infera coniux,
Per ſuperásque auras ille ſuperſtes erit.

ALIVD.

EST mihi Macrinus coniux, nomenq́; Geloni:
Coniugi erat quōdam, quod mihi pectus idem,
Mens eadē utriq;, idem animusq́; eadēq́; uolūtas,
Quod differremus nomine diſplicuit.
Vnanimes rebus cunctis, quod noluit ille,
Nolui & ipſa etiam, quod uoluit uolui.
Sic nūc quod uult ille, uolo quoq;, ſed quia me uult
(Quandoquidem uiuit) uiuere, uiuo & ego.
Vult memorem eſſe ſui: quid ni, ſi tota in eo ſum!
Vult loquar ille, loquor, uult taceam, taceo.
Sed prius hæc me uult bona uir bonus ille precari,
Quiſquis ades, felix, uir, mulierq́; uale.

IN EANDEM
Nicolaus Angelellus.

SISTAS quæſo gradum tuum uiator,
Siſtas, & chalibe has notas recenti
Sculptas lumine perlegas madenti.
Quæ ſim ſcire cupis? Gelonis illa
Macrini, hactenus unicè quem amaui
Fido & pectore, Parca nunc acerba
Vitæ fila meæ (heu dolor) recidit.
Per cunctas anima at domos beatas
Errat, non ſenis immemor mariti,
Cuius gratia iniquo & inuidente
Fato fama mei diu feretur

Alis

A lis præpetibus leuis per oras
O mnes, tartara per, polos per ambos:
D ixi, nunc liceat uias inire.

CLAVDIVS MAGO. AD Petrum Borſalum Gelo. fratr.

B O R Sale habes tota ſemper quod mẽte petiſti,
I am tecum Elyſia ualle Gelonis agit.
V tq; poëtarum cingit te denſa corona
C antantem Aeolia carmina blanda fide,
S ic ſoror inſignes iſtic Heroidas inter
D ux regit euantes cum grauitate choros:
I nterea hic mœrens orba cum prole Macrinus
I n querula ducit tempora triſtitia:
I nuidet Elyſij necnon florentibus aruis,
V eſtrum ſint animis aucta quod illa duûm.
S e ſine præſertim, qui iam tremulusq; ſenéxque
T am fortunatis unà auet eſſe locis.

IACOBVS GOPYLVS MED. De P. Borſalo fratre Gel.

T HREICIVS nequijt blãda teſtudine uates
E ripere à nigris Manibus Eurydicen.
N ã male cautũ Hecates lex dura fefellit amãtem
V rgentis retro ne comitem aſpiceret.
A t cithara adduxit germanam Borſalus aurea
V ati qua iuuenis par fuit Odryſio:

V ellet ad Elyſios illa ut deſcendere campos,
I nter & illuſtres degere Semideas:
N on reditura iterum ſuperas in luminis auras,
I udicet humanum dum Deus uſque genus.
I nterea mixtis luſtrans Tempe infera Nymphis
V el niueo incedit læta per arua pede:
P ercutiente fides digitis uel fratre choreas
Ducit, & exultans ocia grata terit.
A t fractus ſenio hîc longo & mœrore maritus
Q uo ſociam aſpiciat tempus adeſſe uelit.

IO. MORELLIVS MICH.
Hoſpitalio Biturig. Cancellar.

HOS te ſi numeros iuuet euoluiſſe, Michaël,
C ompoſuit uates quos tuus, atque cliens,
I nuenies tot næniolas ibi, tótque querelas
E ius de extincta coniuge, tot lachrymas:
V t mirer Niobes lapidem hunc non eſſe poëtam,
N on alnũ Heliadum, nõ uolucrem Alcyones,
F actum Hecubæ úe canem, quãuis Macrinus ab (omni
L ædendi rabie candidus abſtinuit.
I udice me eſt felix tali præcone Gelonis,
Q uod Macedo Phthio dixerat antè Duci.

EX DANIELIS AVGEN-
tij Græco Antonius Dampetrus.

QVI ferruginea tranſmittis nauita cymba
E xtinctorum animas dic mihi quæſo Charon,

Prudētem transfers cur morte Gelonida functā?
Matronis ne aliјs moribus anteſtetit?
Fœminei ne fuit lampas clariſſima ſexus,
Cuncta illuſtrauit quæ loca luce ſua?
Iuſſit eam Deus idcirco ſubducier ima
Ex terra, has Superum Regia namq́; cupit.

AD SAL. MACRINVM ANTO- nius Armandus Maſſilienſis.

QVID fles ô uenerande ſenex, qui fronte ſerena
Quamlibet aduerſas res tolerare ſoles?
Quò tantæ robur mentis, grauitasq́; receſſit?
Cùr ue ſacro tantus pallor in ore ſedet?
Eheu, morte tibi eſt coniux tua rapta Gelonis,
Quæ tibi curarum mite leuamen erat.
Quæq́; pudicitia atque omni uirtute parauit
Immortale ſibi perpetuumq́; decus.
Cuius caſta fides priſcis uel digna Sabinis
Cum formæ eximio lumine iuncta fuit.
Cuius ſimplicitas prudens, prudentia ſimplex,
Diuina & pietas non habuere parem.
Quid, quòd & eloquiј florebat laude, fuitq́;
Dotibus ingeniј conſpicienda ſui!
Quæ dilecta Deis, quæ uate beata marito,
Addita Pieriјs quæ noua Muſa fuit.
Comprime ſed fletus: mortalem hanc eſſe ſciebas,
Nanq; omneis eadem fata ſeuera manent.

Illa quidem fecit pulchra te prole parentem,
In qua prole etiam uiuet uterque parens.
Sic etenim mortis ueluti reparabile damnum eſt,
Sic patrum in natis uita perennis erit.
Illa ſuum ſexum ſeclumq́; ornauit, & uſque
Carminibus uiuet magne poëta tuis.
Hæc Macrine tuos debent tenuare dolores,
Cumq́; nouem Muſis uxor id alma rogat.

GELONIDIS SALMONII MAcrini Poëtæ celeberrimi uxoris Epitaph. per Petrum Mirarium.

QVIS iacet hîc? noti coniux ſanctiſſima uatis,
Fœminei ſplẽdor ſexus, memorãda Gelonis.
Vitã immortalẽ quæ uiuere digna fuiſſet,
Muſarum iam facta comes, ſacrata Mineruæ.
Sed non mortales norunt conſulta Deorum.
Nam cum dira lues cerebri, ſimul ille perurens
Incubuit neruis humor, per membra deorſum
Diſtillans, morbi tandem fit cauſa maligni.
Nec ſatis hæc. ſæuus ſenſim per uiſcera ſerpit
Arrodens laxum pulmonis corpus, acerbo
Vulnere, lethales exhalant pectoris auræ.
Illa peregrino nimium uexata calore
Tabeſcit: ſolidas ſuccedens hectica febris
Abſumit partes, miſeros depaſcitur artus.

Quis

Quis numeret quantos & quot ſit paſſa dolores,
Aegra toro languens, caro ſemota marito?
Pro dolor, hanc uati mors importuna peremit.
Heu concors pietas fuerat quæ iuncta duobus
Nec ſimulatus amor geminis concreuerat olim
Pectoribus, ſed iuſta fides, & plena pudoris
Libertas, candorq; animi, generoſaq; uirtus.
Corpore parua fuit, ſed mens ornata decore
Immenſo æthereas penetrabat acumine ſedes.
Blanda tamen formæ grauitas, frontisq; ſerenæ
Pondus non aberat, caſtos ubi conderet ignes.
Carminibus docto toties celebrata Macrino,
Nouerat arcanam manibus tractare poeſim.
Carminis author erat, teneros cantabat amores
Vxoris uates: nunc triſtia funera tractat.
Supprime iam lachrymas, lugubres cōprime fletus
Care pater uatum: quanuis ſit cauſa doloris
Iuſta tibi, ſupereſt curas quod leniat omnes,
Pignora pulchra tibi, gratiſsima pondera uentris
(Plura quid exoptas?) coniux moritura reliquit.
Maxima de natis genitricis imagine ducta
Filia, maternos referet cum corpore mores.
Maximus hinc natu, ſpes filius intima patris,
Proxima uirtutum ſequitur ueſtigia ſolus,
Plectra mouere lyræ didicit, fidibusq; canoris
Carmina decantat felicia ſemina mentis.

Ne longum faciam, uiuit caſtiſſima coniux,
Nil terris commune gerens terrena refugit
Iuncta Deo, cui ſe totam deuouerat olim.
Iamq; nouo fruitur ſponſo, noua gaudia cernit
Amplexa æternos uitæ melioris honores.

IGNOTI NVLLA CVPIDO.

GELONIDIS TVMVLVS PER
Comitem Alſinoum.

FLENT Muſæ, flēt et Charites, flet et ipſe Macri
Nempe uir uxorē, Muſa, Charisq;, nurū. (nus,
Nam ſi Muſarū, Charitumq; propago Macrinus,
Muſa Gelonī tibi, ſocrus eratq; Charis.

VALLAMBERTI.

GRATIA dicta fuit, quia uultu gaudia mon-
Et tamen huic fletu cerno madere genas: (ſtrat
Cur ita? dilectam quia flet cecidiſſe Gelonin:
Qua uiua ſemper Gratia grata fuit.
Ergóne grata minus fuerit pòſt? nil minus: atqui
Quæ fuit in riſu, nunc erit in lachrymis.

IN GELONIN MACRINI, IO. Aurati Ode ad numeros Odes Pindari Olympiacæ IIII.

STROPHE I.

LACERATE, uellite ſæuis
Manibus uiolas
Crinium ſacrorum
Heliconiades: rumpite ueſtros
Smaragdifluos amictus:
Fœdate ſinus herbicolores:
Planctu ſint liuentes lacerti,
Non uirore lacus
Perennis, atque muſco:
Candens ebur leuium pectorum
Crebra turpet inuſta macula:
Roſeas unguis ſecet genas:
Hinc & ſonet inde
Fragor lachrymabilis
Nouem per ora,

ANTISTRO.

Nemus ut biuerticis umbra
Tremat, & gemino
Bis retundat antro

N ouies repetitos ululatus:
I ugumq; bifrons Gelonin
C lamare,reclamare Gelonin
E xultet plauſu lachrymoſo.
F ons equi ſolito
R egurgitetur alueo,
T urbante dulces liquores ſale
T riſtium laticum per oculos
A ganippeæ cadentium
T urbæ. Iacet eheu,
S ui iacet heu bona
A mica uatis.

EPOD.

QVID proſunt ſacra tot duobus
M ente pia peracta?
P reces quid uſque uotaq;
V eſtras facta prius tot ad aras?
T ot ab utroque carmina ueſtra
I n æde, Pegaſides,
D icta, tholiſue ſacrata?
N um mitiores Gelonis
O b id ſenſit improbas
C olus? Lacheſiaq;
S ibi penſa minus incitato
V oluta turbine?

SROPH

STROPHE II.

HILARIS uirentia ſerta
Hederæ, ſolitus
Tu quibus Macrine
Redimitus, amandos Hymenæos
Gelonidus inſonare,
Iam nunc tua de fronte Cupreſſus
Excluſit: iam plorata Taxus
Fronde funerea
Tibi genas inumbrat.
Quæ culpa uatis, nefas quod uiri
Innocentis in his gemitibus
Luitur? Quos tu Deûm focos,
Aut quod temeraſti
Sacrum nemus inſciens,
Vt hos moueres

ANTIST.

MISERABILI fide luctus?
Quibus Odryſii
Cœlibis querelas
Superas, nimium lege ſeuera,
Amanda iterum carentis
Vxore, nec ultra modulato
Exorantis cantu ſecundos
Coniugis reditus.

G rauis,ſed heus amanti
P arcendus error,nigri parcere
V rna ni Iouis indocilis ab
F oret, infernas ubi ſemel
P ortas penetrarunt
L eui pede,corporis
I nanis umbræ.

EPOD.

P E R quas illa Macrinis,illa
N uper ijt Gelonis:
A mata coniugi ſuo,
Q uantum nulla feretur amata
M ulierum poëticolarum.
N ec illa quæ Clario
T am fuit intima uati
L yde:Philetæ nec illa
A mor Battis & labor:
M agis neque placuit
M egaloſtrata Laconi,nota
S ui lyra uiri.

STRO. III.

S V A non Cyrenigenæ plus
F uit Apidanis
C lara Lais: aut illi.
E legos tenues qui modulatus
V olubiliore tractu,

Princeps

P rinceps teneros ſcripſit amores
M imnermus, Nanno: non Theoris
G ratior Tragici
P atri fuit cothurni:
E œa non Aſcrais ſic iecur
V atis Aſcrigenæ tetigerat:
N eque ſic iucundæ filio
L unæ Antiopea:
N ec Icariotida
H omerus arſit.

ANTIST.

GRAVIVS, ſolo licet exul
P atrioq; lare
S umma tot pericla
M are per rapidum uerus Vlyſſes
T ot & tulerit laborum,
I mmenſa quibus pagina creuit,
A erumnas: dum uult ora uere
N oſſe Penelopes
C anenda longiori
A mbage filoq; uiuacium
C arminum: quibus & prior, & hæc
M odò quæ floret, futuraq;
V oluentibus annis
P ropago canat piæ
I ugalis acta.

EPOD.

SED nos quò ruimus calores
E numerare priſcos
Cohortis Hippocreniæ?
Nullus tam grauis ardor amicæ
Veteribus fuiſſe poëtis
Feretur, ille tui
Quem thalami pius ignis
Non obruat nunc Macrine.
Amor magnus omnis eſt,
Sed in face ſocia
Vt honeſtior, ita eſt & acri-
or eſſe uiſcera.

STRO. IIII.

MIHI ſi manus docilis ſit
Ebur aut ſimiles
Expolire ceras,
Liquidiſue tabellas animare
Coloribus, aut metalla
Cælo, tua nunc prima Geloni
Doctam conformarem per artem
Ora, parua quidem
Amanda ſed marito
Solatia ingentis ægro mali:
Cuius & pietas, & amor
Facis extinctæ, meretur ut

Vultum

V ultum Polycletus
T uum,manus aut Scopæ
R edonet orbo.

ANTIST.

SED honos caducus imago eſt,
F ragiliſq; teri
D ente putris æui:
M eliore fide carmina ſeruant
S ibi data lege certa
F igmenta uirûm luce carentum.
H is te certatim uiua uatum
C uſpis excauat in
P erennibus metallis:
Q uos inter omnes uir aurum tuus
L imat,æra recudit alius:
C halybeas ille laminas
H ic album Oricalchon:
S inus ego tortiles
S equace uibro

EPOD.

ARGENTO tenuis,ſequensq;
T enuia cum labore.
S ed ô mihi ſi copia
M aioris foret ulla paratus,
T ibi ſepulchra qualia lucter
S upra minas uehere

P yramidum aut Obeliſcos!
P ulſu chelys grandiore
R emolitus arduis
S upercilia iugis,
A racynthius apex quod olim
S tupebat inſolens.

STRO. V.

A G E uos Panegyris alma
G regis Elyſii,
T urba fraudis expers,
D ate thura focis, ſpargite flores:
S onis hilarate fauſtis
P lauſuq; diem: caſtior umbra
A duentat, ſuccedit q; lucis
I nnocens placidis.
P rocul procul ſit inde
T riplex hiatus trucis Cerberi:
E t ſororia flagra, totidem
A nimas quæ territant ſonis,
C um uerbera clarè
C repant tria ſibila
T ribus lacertis.

ANTIST.

P R O C V L inde quæ patrueles
P otuere mălis
E xſecare cultris

I ugulos: neque blando reuocatæ
S oporc uirûm iacentum
S unt ah miſeræ, ne truce ferro
P rimæuas fauces inquinarent.
T urpis inde procul
S it aureæ redemptrix
T orquis, graui quæ maritum neci
Miſit Argolicum, nimis amat
P retioſa dum monilia,
B accasq; rotundas.
S it inde ſit & procul
L euis Lacœna:

EPOD.

ET quæcunque facis iugalis
R umpere fœdus auſa eſt.
F idelis umbra non niſi
F idas ire meretur ad umbras.
P aribus ut pares ſocientur,
S it huic comes uel ea,
Q uæ comitata mariti
E ſt fata, uel quæ maritum
R edemit ſua nece.
P ios pia numeros
L oca per mulierum piarum
G elonis augeat.

STRO. VI.

VBI ſemper Oceaninæ
H ilarum nemus, &
I nſulas beatas
R ecreant tepidis flatibus auræ.
A t aureoli renident
F lores, ſua quos educat arbor
P artim late ſplendente ramo:
M ater aſt alios
A lit fouetq; tellus
S uffuſa riuis perennantibus:
V ulgus uda per arua placidum
M anibus dulces rapinulas
E xercet: ut agmen
A pum, populans nouo
S alicta uere.

ANTIST.

I T A ſimplices animorum
T hiaſi, ſua per
P rata perq; ſaltus,
L oca peruolitant omnia latè
L eues, agitantq; prædas
F lorum, quibus hi nectere thyrſos
C ertant, illi texunt corollas,
P ars at exiguos
S ibi plicare torques

Gaudent,

G audent,manus queis, & ornent comas.
I nterim canor undique auium
T enero uernante gutture,
E xultat in auras:
P ropinquaq; ſydera
I ocoſa pulſat

EPOD.

SYLVAS inter ouans imago.
P ar ibi nocte tota
D ieq; ſolis aurei
P uros purior orbita luſtrat:
N eque maligna nubila luci,
N ec officit tepidis
B ruma geluq; ſerenis.
N ullus tumultus quietis,
P auor nullus obſtrepit:
S ed omnis in epulis
M ora conteritur,inq; Muſis
C anentibus Iouem.

IANI SANELLII PAVLINI
Ode de morte Gelonidis Macrinianæ.

ERGO Geloninfata ferocia
M erſere letho? non meritam mori,
S i candor,& mentis ſagacis
I gnea uis,pietasq; Parcas

Mouere poſſent illachrymabiles.
 Si iuncta filo gratia corporis
 Sermoq; facundo ore manans,
 Cura domus, & amor mariti.
His inuidetis quin potius Deæ,
 Quæ bella ſemper, ſemper & optima
 Aufertis, at contra perire
 Digna, auido ſtudio fouetis.
Sic quæ relicto coniuge, adulteri
 Mirata crines, fax fuit Ilij,
 Frontem ſenilem conſpicatur
 In ſpeculo, & fruitur marito
Impune. Virgo at percita quæ entheo
 Furore mentem, præmonet oppidi
 Sacri ruinas, ecce paſſo
 Vi trahitur moribunda crine.
An non Vlyſſi quæ thalami fidem
 Sanctam tuetur (mille procis licet
 Vexata) uos noctes dieſq;
 Conficitis lachrymis madentem?
Sic & Macrino connubij ſacris
 Iunctam Gelonin nunc miſerabili
 Fato abſtuliſtis, ſic amatam
 Eurydicen rapuiſtis olim
Vati canoris ſit fidibus licet:
 Vterque præſens flectere uel tygres,

Quercus

Q uercus uel. auritas,at Orco
H eu nequeunt reuocare manes.
A equo ferenda hæc ſunt animo,pie
M acrine,nec te flebilibus decet
T radi querelis,impiorum
M ore,quibus periјt futuræ
S pes lucis.Ergo fortis ad anchoram
S acram recurras,quod facis,& Deum
A udito Chriſtum,mox onuſtum
H ac cruce te miſerans leuabit.
C hriſto Gelonis mortua:uixerat
C hriſto Gelonis. deſine mollium
T riſtis querelarum,beata eſt
N unc Dea perfruiturq́; Chriſto.
C onſiderandum ter quater ut caro
D omanda nobis,cernere quô breui
G elonin adſcriptam ſupremis
O rdinibus liceat piorum.

IN GELONIDIS MACRINI POETAE CLARISS. VXOris obitum, Franciſci Beraldi Pariſien. Carmen.

ΣΗ͂ΜΑ τόδ' ὦ ἄνθρωπε Γελωνίδος, ἣν ὁ Μακρεῖνος
 Κουριδίην ἄλοχον γήματο μουσοπόλος,
Ἦν τε πατὴρ εὔπαις πάρος εὔτοκον εἶδε καὶ ἀβρὰν
 Ὠδίνων κρατερῶς ἄλγε' ἀπωσαμένην.
Μαῖα γὰρ Εἰλείθυια παρείστατο καὶ μογεούσης
 Παῦε πόνους θνητῆς σύμμαχος οὖσα θεά.
Ὀψὲ δὲ θυμοβόρῳ ζήλῳ καυθεῖσα, τετοῦτον
 Κῦδος τοσαύτης οὐ χάδεν εὐτοκίης.
Καὶ τὸ πάλαι γονίμην ἐρατῆς ἤμβροτε λοχείας
 Μητέρα καὶ πάσης, ἣν ἔχεν, εὐφροσύνης.
Ἀλλὰ τόγ' οὐδὲ θεᾷ τῇ νηλέα θυμὸν ἐχούσῃ
 Ἤρκεσε, τηξιμελῆ τλήμονι πέμψε νόσον.
Τῇ καταψυχομένῃ πουλὺν χρόνον ὀψὲ πελώρος
 Εἰς χορὸν Ἀθανάτων ἦλθεν ἀποφθιμένη.
Ταῦτα μαθεῖν παρ' ἐμοῦ σὺ δυνήσεαι ὦ παροδῖτα
 Ἄττα με Μακρείνου σφοδρὸς ὄρινεν ἔρως.
Τοὺς δὲ τρόπους χρηστούς, ὁσίην καὶ πίστιν ἀκοίτας
 Προῖκα ξυνηφονίας πουλὺ βεβαιοτέραν
Μάρτυρ ἐρεῖ ὁ σύνευνος, ἐπεὶ μέγας ἐστὶν ἀοιδὸς,
 Ἄξια τοιούτου καὶ τάδε συγγραφέως.

Εἰς τὸ

Εἰς τὸ αὐτό.

Οὐ τὴν Εὐρυδίκην ὀλοφύρατο φαίδιμος Ὀρφεὺς
Μουσῶν ἀμειλίκτους θελξάμενος νέκυας,
Ὅσσον ὁ αἰνοπαθὴς θρηνεῖ σ' ὦ δῖα Γελωνὶ
Ἀσκελὲς αἰάζων σύγγαμος ὠκύμορον.
Νῦν δ' εἰ ἐκ νεκρῶν ὁ λυροκτύπος αὐτὸς ἐγερθεὶς
Θρῆξ, τὸ δὲ Μακρίνου πένθιμον ἄλγος ἴδοι
Οἰκείοιο γοῦν γαμετῆς τε λελησμένος αὐτοῦ
Κλαύσαι πουλύδακρυν κῆρα, Γελωνί, τεήν.

Ἰακώβου Γωπύλου ἰατροῦ εἰς σεμνοτάτην Μακρίνου τοῦ ποιητοῦ γυναῖκα τεθνηκυῖαν.

Τίπτε μάτην φθονέεις ἐρατειναῖς βάσκανε Κλωθὼ
Ἀντὰς δ' οὐκ ἐάᾳς παρ βιοτῇ τελέθειν.
Τήν τε Γελώνιδα τὴν γλυκερῆς αἰῶνος ἀμέρσαι
Ἐνεπέος σεμνὴν μουσοπόλου ἄλοχον.
Ἀλλά μὲν ὑμνοπόλων μῦθος δυνατώτερος ἤπερ
Ὀρφέος, εἰς βίοτον ἤγαγεν ἀΐδιον.

HELIAE ANDREAE IN GELONI-
dem Macrini, scazon.

Σώφρων γελῶνις σαρκίῳ προσέκρουσεν
Γῆς ἐπικαμοῦσα νωλεμὴς ἔτη πλείω,
Φύσιν ἀντιπολέμῳ, καίπερ ἀσθενῶς εἴχων.
Γιέσατο δ' αὖτ' ἀσιτίᾳ τέλος πολλῇ,
Ὁσίοις τε καμάτοις, πάντα καὶ δαμάσασα

Ἀντίπαλον, ἐνθάδε καταχειμένον λεῖπει.
Ἀυτὴ δὲ νῦν τελέσλιος, καὶ ὑμνητὴ
Νίκης ἑαυτῆς γινομένη σοφοῖς πᾶσιν,
Φαιδρὸν ἄςρον ὡς ἐν οὐρανῷ λάμπει,
Ἀρετῆς μέγις᾽ ἄεθλ᾽ ἑλοῦσα τῆς ψυχῆς.

EIVSDEM.

ΜΑΚΡΙ΄ΝΟΙΟ φίλη τοῦ μουσοπόλοιο συνόντος
Οὐκ ἔχεται τύμβῳ, τὸν δὲ γελῶνις ἔχει.
Ἄφθιτον εὗρε γάρ τ᾽ ὄνομ᾽ ἐν γῇ τέχνῃ ἀκοίτου,
Χ᾽ αὐτῆς εὐσεβίῃ ζῇ Διὸς ἐν μεγάροις.

EIVSDEM.

MACRIni uxorẽ tumulus non continet iſte,
Sed tumulum potius uiua Gelonis habet.
Nominis æternum in terris decus arte mariti,
Et uita in cœlo eſt huic pietate ſua.

Ἀδέσποτον.

ΜΑΚΡΙ΄ΝΟΙΟ φίλης τοῦ μουσοπόλοιο δάμαρτος
Ἐνθάδε τῆς κλεινῆς σῶμα κόνις κατέχει.
Οὔνομα ἧς περίπυστον ἔτι χθονὸς ἀμφιπολεῖται,
Ψυχὴ δ᾽ ἐς Μακάρων ᾤχετ᾽ ἀεὶ παμένη.

Δανιὴλ τοῦ Αὐγεντίου, εἰς τὴν τοῦ δεξιωτάτου ποιητοῦ Μακρίνου σεμνοτάτην συνόντον.

ΕἸΠΟΝ ἀνδρομένῳ πυκινῆς νεκυοςόλε πορθμεῦ,
Τίπτ᾽ ἀναπορθμεύεις σῶμα γελωνίδος;

Οὐ πᾶσ

οὐ πῶν θῆλυ παρῆλθε φαεινοτάταις ἀρετῆσιν;
οὐδ' ἦν τῶν ὀχέρων κόσμος ἐπιχθονίων;
Τῷ, μὶν ἄναξ με κέλευσε ταχιστά τε γῆθεν ἐνάξαι·
Τοίην δ' ἐποθέει χῶρος ὁ τῶν Μακάρων.

IO. SANELLII PAVLINI.

ὉΡΩΣΑ τύμβον Μοῖρα τῆς Γελώνιδος
Σοφῶν μὲν ἀνδρῶν γράμμασιν τιμώμενον:
Τῆς ἐλπίδος γ' ἐγὼ φησὶ, πέσον τάφος,
Ὡς καὶ γάμος δίος μὲν ἐστιν ἄφθιτος.

Latinè ſic per eundem.

VIDENS ſepulchrum conditæ Gelonidis
Vatum Camœnis nobile immortalibus
Mors, ſpe mea, inquit, excidi: namq; ut thorus
Stabit ſepulchrum & ære perennius.

PETRO DANESIO CAESARIS
Gallici præceptori, Salmonius Macrinus.

TE quoque ne nolles teſtarer flere Gelonin
Abductam Elyſiæ regna in amœna plagæ:
Sed magis in Superûm clarũ Auguſtale receptã,
Seruiat ut Domino læta perennè Deo:
Sed uereor ne ſi tibi grata ſilentia turbem,
In partem accipias non mea uota bonam.

C oniugis at probitas ex illo tempore noſtræ
N ota tibi,fauſta quo mihi nupſit aue.
Q uanto & fida comes me proſequeretur amore,
N atorum eſſet ei quantaq; cura domus.
D ogmata quo ſtudio legeret diuina,ſacráſque
H iſtorias Diuorum æmula Cœlicolûm.
C ontẽdebat enim morum ut quadraret ad unguẽ,
F orma ſalutiferis irreprehenſa libris.
A tque obiurgabat dictis quorum abſona uita,
Q ui ſermone tenus Chriſticolæq́; forent.
C ognita Tuſano hæc Vatablo Daneſióque,
N oſtram olim ſolitis ire redire domum.
N e tamẽ impediã ſtudioſum, & pulchra minãtẽ
P ignora dum Henrici Regis honora doces:
I nterpellator nolim improbus eſſe uideri,
H arpocratem factum conſulo téque boni.
R elligio eſt operum ſi quid uulgare tuorum,
G allia quo tumeat nec ſinere ire foras:
S altẽ(quod minimũ) ut Macrini extĩcta quieſcat
Nupta,piæq́; animæ ſit bene,Petre,roga.
V era loquar:capſis tam docta uolumina claudi
N on modò iactura eſt,ſed(mihi crede)ſcelus.

DE FR. CONANNO LI-
bell.ſuppl.in Regia Magiſtro.
Ad Lud. Regium.

CONANNO

CONANNO, paſſim cuius prudẽtia nota eſt,
  Méſque merum eloquij cuius ab ore fluit:
Non niſi qui loquitur pia, relligioſa, pudica:
  Verbaque confirmat moribus ipſa ſuis:
Supplicibus præſit qui cum, Ludouice, libellis
  Socraticis operam dat tamen uſque libris:
Conanno huic inquã tibi noto, & ſemper amico,
  Conuiuas cui nos ſæpe fuiſſe palàm eſt:
Carmina ni mittam noſtros teſtantia luctus,
  Hoc propero ereptæ coniugis interitu,
Exhibeat cui dignus ero ſolatia nulla,
  Damnáque qui uidear talia iure pati.
Nouit flere, ut uult Paulus, cum flentibus, atque
  Triſtitiam ſanctis demere colloquijs.
Sit licet ipſe potens, opibus floreſcat & amplis,
  Eius & ad cunctæ res propè uota fluant,
Voce regit mœſtos, miſeris ſuccurrere gaudet,
  Humaniq; à ſe nil procul eſſe putat.
Nimirũ extinctam poſtquã audijt eſſe Gelonin,
  Ingemuit, noſtram condoluitq; uicem,
A Chriſto requiem defunctæ Manibus optans,
  Vtq; ſitæ tellus non oneroſa foret.
His ego pro meritis ingratus pauca negabo
  Carmina, nec nugas participabo meas?

ODE A SALMON MACRIN

ſur la mort de ſa Gelonis, par Ioachim Du Bellay Angeuin.

TOVT ce qui prent naiſſance
Eſt periſſable auſsi.
L'indoutable puiſſance
Du ſort, le ueut ainſi.
Les fleurs, & la peinture
De la ieune ſaiſon
Montrent de la Nature
L'inconſtante raiſon.
La roze iournaliere
Meſure ſon uermeil
A l'ardente carriere
Du renaiſſant Soleil.
La beauté, compoſée
Pour fleſtrir quelquefois,
Reſſemble à la roſée
Qui tumbe au plus douls mois.
La grace, & la faconde,
Et la force du cors
De Nature feconde
Sont les riches theſors.
Mais il fault que lon meure,
Et l'homme ne peut pas

Tarder de demy heure
Le iour de ſon trepas.
O u eſt l'honneur de Grece,
L'epouſe au fin Gregeois,
Et la chaſte Lucrece,
Baniſſement des Rois?
L'aueugle archer ſurmonte
Les hommes, & les dieux:
Mais la chaſteté donte
L'amour audacieux.
La Parque depiteuſe
De uoir l'honneſteté,
De ſa dextre hideuſe
Donte la chaſteté.
Et puis la renommée
Par le diuin effort
D'une plume animée
Triomphe de la mort.
La renommee encore
Tumbe en l'obſcur ſeiour,
Le Tems, qui tout deuore,
La ſurmonte à ſon tour.
L'An, qui en ſoi retourne,
Court en infinité,
Rien ferme ne ſeiourne,
Que la diuinité.

La conſtance immuable
De ta doulce moitié,
Sa chaſteté louable,
Son ardente amitié
O Macrin! n'ont eu force
Contre la fiere loy
Qui a faict le diuorce
De ta femme, & de toy.
La mort bleſme d'enuie
En la uenant ſaiſir,
A troublé de ta uie
Le plus heureux plaiſir.
Si as tu la uengeance
En ta main bien à point,
Pour donner allegeance
A l'ennuy qui te point.
Commande à la Memoire,
D'eſpandre en l'uniuers
De Gelonis la gloire,
Ornement de tes uers.
L'ambicieuſe pompe
Du funebre appareil
Si bien, que toi, ne trompe
L'obliuieux ſommeil.
Quand la douleur trop forte
D'une amoureuſe erreur

Voudroit fermer la porte
A ta doulce fureur,
Ma muſe, ta uoiſine,
D'effendra que l'oubly
Du bruit ne s'enſaiſine,
Que tu as ennobly.
Si ton amour expreſſe
N'a ſauué Gelonis,
L'amoureuſe Déeſſe
Perdit bien Adonis.
Sus donq, & qu'on eſſuye
Les pleurs, & le ſouci.
Le beau temps, & la pluye
S'entreſuyuent ainſi.
Celui qui bien accorde
De la lyre le ſon,
Cherche plus d'une corde,
Et plus d'une chanſon.
Cuides tu par ta plainte
Souleuer un tumbeau,
Et d'une uie eteinte
R'allumer le flambeau?
Ton dueil peu ſecourable
Ne deſaigrira pas
Le iuge inexorable,
Qui preſide la bas.

L a Harpe thracienne
Q ui commendoit aux bois,
A uſſi bien que la tienne
L amenta quelquesfois.
S on pitoiablę office
A ux enfers penetra,
O u ſa cherę Eurydice
E n uain elle impetra.
M acrin, ta doulce lyre,
L a mignonne des Dieux,
N e peut ſurmonter l'ire
D u ſort iniurieux.
I l fault que chacun paſſe
E n l'eternelle nuict.
L a Mort qui nous menaſſe,
C omme l'ombre nous ſuit.
L e temps qui touſiours uire
R iant de noz ennuiz,
B ande ſon arc, qui tire
E t noz iours, et noz nuictz.
S es fleches empennées
D e ſiecles reuoluz
E mportent noz années,
Q ui ne retournent plus.
N'aduance donc le terme
D e tes iours limitez.

La Vertu,

L a uertu, qui eſt ferme,
F uit les extremitez.
T rop, & trop toſt la Parque
T 'enuoira priſonnier,
D edans l'auare barque
D u uieillart Nautonnier.
A donq ira ton âme
S a moitie retrouuer,
P our ta premiere flâme
E ncores eſprouuer.
L 'amour, ta doulce peine,
T 'ouurira le pourpris,
O u la mort guide & meine
L es amoureux eſpris.
L a, ſoubs le ſainct ombraige
D es myrtes uerdoyans
S 'appaiſera l'oraige
D e tes yeux larmoyans.
Cœlo Muſa beat.

IMITATION DE L'ODE LAtine de Iehan Dorat ſur la mort de la Roine de Nauarre.

COMME en un char, qui bruloit,
R aui parmy l'air liquide,
L e grand prophete uoloit,

E t commendant à la bride
D es cheuaux audacieux,
D 'une main etincelante
G uidoit leur trace brulante
P ar la carriere des cieux.
Q uand du uieil ſeing foudroyant
A ux bras du ieune prophete,
L a robe en l'air ondoyant
T omba d'une longue traite,
Q ui ſembloit aux regardans
E tinceler par derriere
V ne brillante lumiere
A poinctes de traiz ardans.
C omme au ſerein d'une nuict
D e mile feuz couronnée
D e loing quelquefois treluit
V ne etoile epoinçonnée:
Q ui coule, ou ſemble couler,
E t trainant apres ſa fuite
D e ſillons une grand' ſuyte
C ourt par le uague de l'air.
A inſi, ayant depouillé
D e ſa forme corporelle,
L e manteau iadis ſouillé
D 'une tache naturelle,
M arguerite delaiſſa

C e uieil fardeau tant moleſte,
E t aux ronds du feu celeſte
P lus allaigre ſe haulſa.
L 'Eſprit du corps deuoilé
E t net des terreſtres boues
I uſques au ciel etoilé
V ola deſſus quatre roues.
L a foy, l'eſperance auſsi,
L a charité tant priſée,
E t celle, que n'a briſée
L 'effort du cruel ſouci.
S ur ces couples bien appris
P army la celeſte trace,
A u ranc des heureux eſpris
E lle alla prendre ſa place.
L a, ou Roine elle ſe uoit
D 'un monde plus grand, & ferme,
Q ue n'etoit le petit terme,
Q ue ſon Nauarrois auoit.

Cælo Muſa beat.

EPIGRAMME ſur le treſpas de Gelonis, par Damoyſelle Antoinette Deloynes.

NE penſe pas que la femme ſoit morte
D u bon Macrin: car il eſt homme tel,
Q ue par ſa Muſe a rendu immortel
E t le nom d'elle, & l'amour qui luy porte.

DES PROPOS QVE TENOIT
Gelonis eſtant au liɛ̃t de la mort.

PVIS que le corps de nature mortelle
Eſt corruptible, ainſi q'un peu de cendre,
Et que l'Eſprit de ſubſtance immortelle,
A mort ne peut comme la chair deſcendre,
C'eſt bien raiſon me plaire & condeſcendre
Par mort paſſer en l'eternelle uie.
O mort heureuſe ou l'ame eſt aſſouuye
Laſſus au ciel en la gloire parfaicte!
Par toy bien toſt ſoit mon ame rauye:
Et du hault Dieu la uoulonté ſoit faicte.

Ignoti nulla cupido.

Dizain par Iehan Sanel.

LA mort auoit ia chanté la uictoire,
Sur le tombeau de Guillonne Bourſault,
Et penſoit bien triumpher de la gloire
Comme du corps, lors que Macrin l'aſſault
Par mille uers, qui leuerent ſi hault
Ce ſaincſt tombeau, que mort ni peut attaindre.
O bon mary! la mort n'a peu eſtaindre
L'amour qu'auois à ta femme en ſa uie.
O Dame heureuſe! on ne te deuroit plaindre,
Puis que ta mort uainct la mort, & l'enuie.

AD IAC. BONGIVM
Reginæ à libell. ſuppl.

EVRYDICE quondam lethata dente colubri
Vulnifico, interpres Thracius ille Deûm
Totos uſque dies totas ex ordine noctes
Exegit querulis flens ſua damna modis.
Quin & inacceſſum uiuis penetrauit Auernum,
Et ferrugineum Perſephones thalamum.
Blanda & pallenteis mulſit teſtudine Manes,
Caram impetrauit rurſus & Eurydicen.
At uoti compos ſuperas cum coniuge ad auras
Immemor ah legis dum redit antè datæ:
Eurydicen demens reſpexit ponè ſequentem,
Protinus effuſus omnis ibiq; labor.
Et tunc Tenarij ſunt fœdera rupta Tyranni,
Eurydice in uentos perdita rurſus abit.
Commixtus tenuem ceu fumus in aëra fugit,
Attoniti ex oculis effluit illa uiri.
Quid faceret? Ditem rurſus qua uoce moueret
Implexasq; Orpheus anguibus Eumenidas?
Strimonis in ripa gelidi, ſub rupe niuali,
(Quod potis eſt) replet queſtubus omne nemus.
Et citharæ fidibus mœrens tam dulcia iungit
Carmina, ut illiciat robora, ſaxa, feras.
Lex ſi eadē à Superis, Bongi, mihi fortè daretur,
Ad uitam uxorem qua reuocare queam:

N on dubitem uires totóſque intendere neruos,
 M ecum iterum uiuat quô mea nupta placens.
A oniáſque uocem ſupplex in uota ſorores,
 C armina ne Diuis grata futura negent.
A ſt obitæ quoniam eſt iter irremeabile mortis,
 I udicij extremi tempora donec erunt:
Q uod potero faciam, flebo noctéſque diéſque,
 A d te quo citius cara Geloni migrem.
E t ſummi iniuſſu ſi fas exire Tonantis
 H inc ſit, nos teneat iam domus una duos.
T ale nouum in fidis non funus amantibus eſſe
 E t Dux Romulides & Cleopatra probant.
A rdentes prunas quæq; hauſit Portia, Bongi,
 E xtincto affectat dum comes ire uiro.

CARDINALI BELLAIO
Mecœnati ſuo Salmonius Macrinus.

CO NT V Lerã Bellai dominã me nuper in aulã,
 H uc ubi Germanus ſana beatus habet.
F elicéſque ſecat ſinuoſus S equana terras,
 P lurimus in cuius margine cantat olor.
N ec remorata uirum fuerat dilecta Gelonis,
 I n triſti quanuis langueat ægra toro.
S cilicet ut lætus reducis cara ora tuêrer,
 P atronum præſens alloquererq; meum.
P atronum tota quem non trieteride uidi,
 Dum Regis uoto moriger eſſe cupis.

Pontificis

Pontificis ſummi dum res tibi & oppida curæ,
Et patrio præfers Romula tecta ſolo:
Pectora mi quantus tabentia torſit amaror,
Fellis in arenti creuit & ore ſapor!
Cum mihi Moreius mœſto mœſtiſsimus hoſpes,
(Quòd te tam teneat martia Roma diu:)
Regna prius non te rediturum in Gallica dixit,
Aeſtatis quàm ſe fregerit ipſe calor.
Nunc odi ſenium, quo membra effœta pigreſcũt,
Me cupidum quòd non longius ire ſinit.
Iuro tibi ſanctæ per myſtica ſacra parentis,
Quæ Chriſtum illæſa uirginitate tulit:
Me conceſſurum in Latium & Romana fuiſſe
Mœnia, ni ſenij debilitate ueter.
Id quia præcluſum eſt, utinam dulciſsime rerum
Huc rupta redeas ocyus ipſe mora.
Hoc Rex & Regina uolunt, hoc diuitis aulæ
Præcipui quotquot ſunt, proceresq́;, rogant.
Non deſiderij modus eſt, te quærimus omnes,
Spem tot amicorum fallere té ne iuuet?

AD SEQVANAM, DE REDITV *Cardinalis Bellaij ab urbe Roma.*

ALTOR olorini notiſsime Sequana cœtus
Fundentis ripæ in margine dulce melos,
Metropolim, & dominã qui præterlaberis urbem,
Diuiduo mediam lenis & amne ſecas,

A Latijs redijt nuper Bellaïus oris
  A d ſe Pontificem Rege uocante tuum.
Q uin præ lætitia tumefacto undoſior alueo
  O buius huic uerſa curris anhelus aqua?
A d fontemq́; tuum retrò actis flecteris undis,
  I pſi ut grateris temporius reduci?
V tq́ue renidenti patrem impiger ore ſalutes,
  T e ſuper inuitans quò uelit ille uehi?
D ic agēdū Nymphis plaudāt, & carmina dicāt,
  S irenum uoces exuperentq́; trium.
N on tamen ut nautas fallaciter illice cantu
  I n ſcopulos cæcos & uada iniqua trahant.
M atrŏna dic tumeat, teq́; auxiliaribus undis
  P rodenda ad patriæ gaudia feſta iuuet.
D ic Iſaræ dic hoc ut tempore flumen Iŏnæ
  C ertatim lætos tollat ad aſtra ſonos.
A t uos præcipuè, qui principe in urbe poëtæ,
  N unc decet argutis inſtrepuiſſe modis.
E xultare palàm dulcem Pæana canentes,
  D educta & lætum uoce ciëre melos.
D ucis ab Hoſpitio qui nomina clara, Michaël,
  S criptis ſenſa tuis & Venuſina refers:
F ac nitida ut uinctis ſplendeſcat epiſtola uerbis,
  B ellaio pateat qua tua lætitia.
D octe Faï, ſtudioſe Leo, Tiraquelle diſerte,
  Terna incorrupta lumina iuſtitiæ:

Huius Pontificis meritas extollite laudes,
Inreditúque eius fauſta rogate Deos.
Vos quoque Veriuſi, Goïurote, & cãdide Morei
Hunc quis nunc hilares ob reditum eſſe neget?
Quis ſymphoniacos Mariæ quos nobilis ædes
Indelibatæ rite dicata fouet?
Cantica diſcordi gnaros inflectere menſu,
Arguta & uarios uoce ciêre nomos?
Pariſia iam operam Muſis dant quotquot in urbe
Lætitiæ accelerent promere ſigna ſuæ:
Atq; humeris patriæ dicant hunc eſſe reuectum,
Iactare ut de ſe Tullius auſus erat.
Nil claris hoſtes moror artibus atq; malignos,
Quorum uipereo pectora felle madent.
Iam ualeant quæſo, nec gaudia publica turbent:
Offundi ut nebulis aſtra coruſca ſolent.
Infeſti eſſe uiro pergant ſi fortè, crepantes
Rumpantur tetra protinus inuidia.
Bellaio ſatis eſt faueat ſi turba bonorum,
Virtutéſque eius non inimica ferat.

ADONIS THEOCRITI EX
Mellini Sangelaſij Cantilena.

QVAE Diua Cyprum quæque Paphum tenet
Poſtquam interemptum uidit Adonidem,
Maláſque nuper purpurantes
Vulneribus ſaniéque fœdas:

Ad ſe uocauit mœſta Cupidines,
  Et queſta multum iuſsit ut ilico
  Adducerent ad ſe prehenſum
  Qui puerum laniarat, aprum.
Illi exequentes iuſſa fideliter
  Mox peruolarunt luſtra recondita,
  Syluæq; frondentis latebras,
  Atque ſuem tenuere ſæuum.
Iniecta cui ſunt ſtuppea uincula.
  Duro at reuincit hic laqueo trucem,
  Hic terga coſtasq; illigato
  Dedolat, hic ſua tela uibrat.
At ille triſtis conſcius & ſui
  Furoris ibat permetuens Deam,
  Iras & accenſas minacis,
  Propter amaſiolum peremptum.
Hunc Diua captum ſtare ubi conſpicit,
  Inſit, ferarum ô peſsima quid (malum?)
  Pulchrum quid inuadens Adonin
  Dente fero modò ſauciaſti?
En ille ceu flos uomere ferreo
  Succiſus, herba nunc uiridi ſuper
  Palleſcit extentus, ſuoq;
  Tingit humum roſeo cruore.
Non te mouebat purpureus decor
  Formoſi ephebi, non niueum femur,

E t qui per albentes uolabant
A uricomi ſcapulas capilli?
O biecta dein ſus crimina diluit
V ultu inferoci uoceq́; ſupplice,
P er, Diua, te iuro Deosq́;
A ethere qui numerantur, omnes:
E t per tuorum tela Cupidinum
F ormidoloſa immenſo etiam Ioui,
P er, quæ ligatum me coarctant,
I mplicitis fera uincla nodis:
M e noluiſſe hunc lædere Adonidem,
N unc cuius ergò ſic Dea tangeris,
O b fata crudeleisq́; plagas
Q ueis roſeus puer eſt necatus:
I llius aſt ut labra coralina
V ultumq́; uidi floridulum, ratus
V num eſſe natorum tuorum, aut
T e potius Citheræa, flammas
H auſi nocentes protinus, & femur
N udum ut uolebam tangere geſtiens,
V ecors & effrenis puellum
D ente auido immeritum peremi.
V erùm innocenti dum noceo miſer,
C ultro, quod aiunt, me iugulo meo,
H os, Diua, quocirca prophanos
P lecte ſuperuacuosq́; dentes.

V indicta quòd ſi non ea ſufficit,
A tque ampla non fortè eſt ſatis, ilicet
P œna irrogetur talionis,
M orte luam ut parili quod actum eſt.
H is mota demum queſtubus eſt Venus,
E t dura iuſſit uincla reſoluier,
V t liber in ſyluas abiret,
F rondiferos nemorumq; colles.
V ti data is ſed non uenia tulit,
E xactor at trux flagitij ſui
F lammis propinquauit, ruitq;
I n medios moriturus ignes.

F I N I S.

Pagina 8, Linea 8. *Gelonin.* p.22.l.24. *Philippus.* p.51. l. 1. *Salmonij, & linea ult.* Fœminei. p.60.l.3. *Quo.* p.72.l.23. *Taprobanen.* p.76. l.19. *Fuſæ & ſacriſici.* p. eadem. l. 22. *Gopyli.* p.92.l.10. *pignora nati.* p 113.l.7. *iucunda.* l.18. *uera.* p. 128.l.6. *lindon.* p.119.l.23. *letho!.* p.120.l. *penult. tolle geminum punctum.*

A01 146818

BIB
V
X